VITT. EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
48 C
15 M

[illegible] 175

[illegible]

[illegible] ROMA [illegible]

[illegible]

Fr. Paulini a S. Barth.
Carmel. Diſcalc.

Digitized by Google

RESOLVTIO LABYRINTHI MONETARVM

Ponderum, & Aliorum Antiquorum.

LVDOVICI DE CALVIS.

BIBLIOTECA NAZ ROMA

Bononiæ, Typis Iacobi Montij. 1683.
Superiorum permiſſu.

SACRÆ AVGVSTISSIMÆ MAIESTATI

CHRISTINÆ

SVECORVM, &c.

REGINÆ


Cui maximæ opes Chriſtianæ fidei inſtrumenta fuere,
Quæ excelſas animi dotes
Supereminenti Virtutum ſplendore excedens
Regnum abdicauit, vt animorum omnium voluntariam
Seruitutem exciperet
Pro terreno Cæleſte Imperium affectans

Omnibus fauens
Bonos erigit, Impios deprimit
Nulli ſecunda, omnibus maior
Sacrum Diadema diuini Sanguinis
pretioſis gemmis ornatum
Cordi magis quàm capiti ſuo im-
poſuit
Affectuumque reuerentiam ma-
gis, quàm Populorum
Obſequia ſibi vendicat
Huius igitur Regiæ Purpuræ
ſtamina
Implicitas Monetarum Labyrinthi
ambages
Egreſſurus ſupplex imploro
Vt rectam ſemitam cunctis aperiã
Altiſſimæque Reginæ iuſtis Lan-
cibus melius quàm
Quæ Terras vltima fugit arre-
ctum pondus
Adinuenire ſpe maxima afflante
deſidero
Accipiat igitur propitio vultu tan-
ta Maieſtas exiguum

Fa-

Famulantis animi tributum
Quò enim excelſiori meritorum
faſtigio Maieſtatis Suæ
dignitas euebitur
Eo profondiori obſequio, ac hu-
millima
Seruitutis pignore procumbit

Ludouicus Caluus Bononienſis.



Vidit D. Michael de Collibus Clericus Regularis S. Pauli, in Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.D. Cardinali Archiepiſcopo, & Principe.

Pro S. Officio Vidit Petrus Pompeius Vincentius de Mantachettis I.V.D. & publicus Lector, & admitti poſſe cenſuit, &c.

Imprimatur

Fr. Vincentius Vbaldinus Vicarius Generalis S. Officij Bononiæ.

DVCE, ET AVSPICE IESV,

QVem humilitèr deprecor ex toto corde, vt dignetur elargiri Lucé, qua labyrinthi Monetarum,& ponderum, & aliorum veterum poſſim difficiles varij ſenſus diſſoluere nodos; Proindè ſub prudentiſſimo Iudicio Sacræ Regiæ Maieſtatis CHRISTINÆ Reginæ Suecorum, &c. quam tot Scientiæ,& virtutes vſquè ad Sidera extollunt, totoque Orbi admirabilem,& amabilem, dignamque Cœleſti Diademate reddunt, humillima mente ,nè propter timorem cenſuræ mihi creditum à Diuina pietate Talentum in terram fodere videar, vocare audeo ad examen Monetas antiquas, nec non illarum pondera: Super quibus ad ſenſum *Gregorij Tburij*

Lis pro lege viget poſtquàm fas omne, piumque
Fugit, & eſt ipſum viuere lege ſcelus.

Cum ab initio inter Homines mutuis commercijs permutarentur res, magnæque ex ea re difficultates exiſterent, quia non ſemper eueniret, quod Vnus eadem re abundaret, & Alter egeret, *Lege* prouiſum fuit, vt cuderetur Nummus non ex natura, ſed ad vtilitatem cunctorum Populorum inuentus, *Franc. Conan. lib. 1. cap. 5. num. 10.* qui primò *ex Ære*, poſt *ex Argento*, & deindè *ex Auro* cudi publica forma cæpit, *Gedeus ad l. 159. num. 2. & 3. ff. de verb. Signif. Barnab. Briſon. ex Iſidor. lib. 16. origin. cap. 17.* vt in vſum, dominiumque mortalium, non tàm ex ſubſtantia, quàm ex quantitate præberetur *Iul. Paul. l. 1. C. de contrahen. empt.* & Aſper à Veteribus dicebatur recens, nouus, benèque percuſſus, non vſu attritus, ſed qui formam haberet expreſſam, & notas claras, minimeque fugientes, *Pardulphus Prateius*.

Primò vocatur As, ſeù Libra, quo, ſeù qua Veteres aliquid in partes æqua-

æquales diuidere volentes vtebantur, licèt me non lateat, quod ſub nomine Aſſis veniat ſolida hæreditas, iuxtà quendam *Martialis* verſiculum.

Hæredem Fabius Labienum ex Aſſe reliquit.

Nec non ijdem veteres non ſolum hæreditatem, & patrimonium, ſed omne quodlibet ſolidum, & integrum Aſſis nomine, eiuſque partibus notabant *l.* 76. *ff. pro Soc.* hinc pretij Beſſem dixit *Vulpian. in l.* 12. *§. contrario ff. mandat.* veluti in Aſſem ſatisfacere *l.* 1. *ff. de ſeparat.* ex Aſſe poſſidere, vel pro parte *L. penult. ff. qui ſatiſd. cogant.* ex Aſſe, vèl ex parte legatum debere, *l.* 1. *§. ſi cui ff. vt legat.* in Aſſem ſatiſdare *l.* 5. *§ ſi ex duobus ff. vt poſſ. leg.* in Aſſem vendicare *l.* 40. *in fin. ff. de leg. lib.* 3. in Aſſem vendere *l.* 9. *ff. quib. mod. pign. ſolu.* ex Aſſe debere *l.* 1. *§. ſi quis legatum ff. vt legat. nom. cauſ.* in Aſſem impeditiuum redire, *Plin. Epiſt. lib.* 1. In Aſſem dari, inſtituique actionem *l. vlt. ff. de donat. l.* 11. *§.* 1. *ff. de interrog. in Iur. facien.* ex Aſſe auferri totam hæreditatem *l.* 2. *C. de his, quæ*

vt indign. nomine quoquè Aſſis diſtinguebant Vſuras *Barnab. Briſon.* hinc ea Vſura, quæ ſumma eſſet ex centum denarijs ſingulis menſibus ſinguli denarij ſoluebantur As appellata, & ad Aſſis rationem Vſuræ minores appellationem ſumpſere, *Franciſc. Hottoman. lib. 1. de Vſur. cap. 7.* Sed cum As principium, & vnum ſignificet *Marc. Varr. de ling. latin. lib.* 8. proindè ordine ſucceſſiuo redibo ad Aſſem definitum *ab Accurſ.* pro pondere, & ſolido, quem *d. Varr. de ling. latin. lib.* 1. ab Ære dictum eſſe putat, cum de pecunia numerata tractetur dicitur Æris Nũmus, *Teſte Prateio*, & Aſſem pro re minima vſurpaſſe Priores, clarè elicitur *ex Horatio, Cicerone, & Plauto*, ſed vocatis ad examen antiquarum Monetarum ponderibus, nec non alijs facilem reſolutionem ſuper ijſdem inuenire opinor, omiſſis tamèn temporibus Annorum, quos apud Veteres inueni non vnum fuiſſe Annum, *Teſte Plinio lib. 7. naturalis Hiſtoriæ cap.* 48. aſſerente apud aliquos vnum ab Æſtate determinatum,

al-

alterum hyeme, apud Arcades, & Barbaros trimeſtrem, apud Ægyptios menſtruum, vt poſt *Plinium* cenſuit *S. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib.* 12. *cap.* 10. *& lib.* 15. *cap.* 12. *& antè vtrumque Diodorus lib.* 1. *Bibliotec. Xonophon. lib. de Æquinocis*, quoquè aſſerens Ægyptios vſos fuiſſe Anno quandoque menſtruo, Sæpè bimeſtri, non raro trimeſtri, Iberos quadrimeſtri, *Plutarcus* in Numa Pompilio Barbaros vſos fuiſſe trimeſtri, Arcades quadrimeſtri, Acarnanes ſemeſtri, Ægyptios menſtruo, & deindè quadrimeſtri, *Macrobius quoquè libro Saturnaliorum lib.* 1. *cap.* 8. *Solinus collectaneorum cap.* 3. aſſerit in Italia apud Latinos tredecim Menſium, dictoſque Menſes, & Annum conſtaſſe diebus trecentum ſexaginta quattuor, *Cenſurinus in Libro de Natali die, quem ſcripſit ad Cerelium* concurrens *cum prædictis* affirmat Arminonem Regem Ægyptiorum ad tredecim Menſes, & dies quinque Annum produxiſſe, apud Romanos nouem Menſium fuiſſe propter *Homeri* Carmina quibus Neptunus alloqui-

tur Puellam *lib.* 11. *Odiſſeæ.*

Nunc gaude dilecta at, cum ſe euoluerit Annus
Illuſtres (neque enim ſunt vana cubilia Diuum)
Natos nixa dabis, &c.

ideſt Hominum illuſtrium, qui vocabantur *Diui* dum viuebant, vnde *Calepinus* diligentiſſimus latinæ linguæ interpres inquit *Diuam fœminam* intelligimus eam, quæ ſua virtute Diuinitatem meretur, ſic dicimus *Diuos Imperatores*, dum ſunt in vita *Io. Oldendorpius, Gellius quoquè lib.* 3. *noctiũ Acticarum* apud Romanos fuiſſe decem Menſium concurrit *cum Ouidio lib.* 1. *Faſtorum*, antequàm *Numa* adderet Anno Menſes Ianuarium, & Februarium, vt ex verſiculis.

Tempora dirigeret cum Conditor Vrbis in Anno
Conſtituit Menſes quinque bis eſſe ſuo.
At Numa, nec Ianum, nec auitas præterit vmbras,
Menſibus antiquis addidit ille duos.

Sed ne omittam alias Annorum ſpecies de Annis vſualibus, alijs cere-

mo-

monialibus, alijs legitimis, alijs vtilibus, videre poterunt Curioſi, *Arch. Io. Andr. in cap. ſi propter de reſcript. lib. 6. l. 1. ff. de diuerſ. & temp. præſc. Tiraquel. in tract. retract. lignag. §. 1. gloſ. 10.* quos refert *Iacobus Spiegelius*, & de Annis *apud Hebræos* ex Lege Moſaica. *Ioannem Oldendorpium*, aſſerentem quolibet quinquageſimo anno Debitores reintegrari ad poſſeſſionem Bonorum ſtabilium ſuis Creditoribus dimiſſorum, ſed in iſtis obitèr dictis diutiùs non immorari decreui contentus indicaſſe *Auctores*, ex quibus clarè liquet, quod Populi ſibi conſtituebant ad ſui libitum Annos ciuiles, & propter multas Annorum differentias erraſſe quamplurimos *Scriptores* aſſerentes tempore antiquo Homines vixiſſe multitudinem Annorum ad ſui libitum conſtitutorum, qui ſi ad Solares, ſeù naturales Annos redigantur, centum Annorum Solarium, vel circà metam eſſe temporis humanæ Vitæ clarè elicitur *teſte Caio in l. fin. an vſufruct. ff. de Vſufr. Reuer. in l. ſemper ff. de reg. Iur.* & talem varietatem Annorum obſeruatam

tam

tam fuiſſe apud Populos clarè dignoſcitur vſque ad tempora *Cæſaris Augusti* (tempore cuius Imperij totus Orbis erat in pace, & Aurea Sæcula dicebantur) & meritò quidèm, *nàm natus erat Dei filius ſalutis noſtræ Princeps, & Auctor de Virgine Maria*. Qui *Cæſar* alias Octauius omnem rationē temporum vagam, atque incertam ordine definiuit *Suetonio, & Plinio teſtibus*, extendendo Annum in trecentos ſexaginta quinque dies, *Iulianus in l ſi ità vulneratus §. 1. ad l. Aquil.* reſpexit autèm *Cæſar* ad curſum Solis, qui totidem diebus, & quadrante ſuum curſum conficit, & nè huic dierum numero ad Annum conſtituendum quadrans deeſſet, voluit, vt quarto ſemper Anno (quem Biſſextilem appellari iuſſit) vnum intercalari diem, vel duos pro vno computari, ſeù interponi diem ante quinque vltimos dies menſis Februarij, *Celſ. in l. cum Biſextus ff. de verb. ſignific.* Sed ſubiecta hac opinione *prudentiſſimis Viris*, Quos rogo, aut ſimile, aut iſtud perficiant Opus decerptum *non ex capricioſo Iure* nondùm

dùm in toto Orbe recepto, ſed ex

Totque pererratis immenſo ſyrmate Libris,

ex quibus comperi, quod

Cælica pulſa quidem terras Aſtræa reliquit,

Sed cum me non lateat qualitèr libram illa tenebat,

Dum mihi viſa redux, nec tamèn ipſa fuit.

Proindè ſub nomine *Aſſis* vocatur ad examen quidquid ſolidum, aut totum ſit in partibus diuidendum. *Conan. lib.* 10. *cap.* 6. *num.* 10.

Primo. Pondò indeclinabile pondus duodecim Vnciarum, vt *Phocas* inquit, & licèt pro libra non admittat *Curt. lib.* 1. *cap.* 24. attamèn ex antecedenti numero poſito clarè liquet, vt infrà.

Dupondium, vt inquit *Metianus* ſexdecim ſeſcunciæ efficiunt, hoc eſt viginti quattuor vnciæ appellarunt autèm Veteres Dupondium à duobus ponderibus, *Varro de ling. latin.* pendebat autem in duos Aſſes, ſeù librales nummos, *Balduin. Inſtit. de hæred. inſtit.*, *Torneb. aduerſ. lib.* 7. *capi-*

capit. 33. & lib. 8. capit. 40.

Tripondium, pondus trium Aſſium, quod in triginta ſex vncias diuidebatur *Inſtit. de hæred. inſtit. §. & ſi plures*, & vt inquit *Prateius* centena pondo dicebant *Antiqui* refcrentes ad libras, & in *l.* 1. *C. de Canon. largit. lib.* 10. fit mentio *Auri vicena pondo fiſco dependere*.

Secundo vocatur Libra Romana, quam diuidi in duodecim partes, eaſque ſingulas vncias vocari teſtantur *Voluſ. Metian., Marc. Varr. de ling. latin. Alex. Neapolit. & Gulielm. Bud.* eamque conſtare duodecim Vncijs *Afflict. in Conſtit. Neap. lib.* 1. *rubr.* 97. *Couar. de veter. collat. numiſm. cap.* 2. *num.* 3. *verſ. Romanorum*, *Bertazzol. de Clauſ. clauſ.* 30. *gloſ.* 5. dictamque Vnciam conſtare Drachmis octo, *Vulpian tract. de treg. & pac. q.* 51. *tom.* 11. *Romuald. Coli. tract. de Camb. cap.* 11.

Tertio Marca, quod latinum nomen non eſt, nec vulgare, quo vtitur *Tex. in cap.* 12. *Conſtit.* ibi: Nam Marcam Sterlingorum, *C. de Procur. in cap.* 2. *de arbitr. & alijs ſeqq.* ſed

eſſe

eſſe nomen Germanicum, *d. Couar. d. cap. 2. ſub. num. 4. tom. 1.* quaſi limen ponderis apud Germanos, *Ioan. Garſ. tract. de expenſ. & melioram. cap. 12. num. 37. tom. 17.* & quod eſſet inſtrumentum Mercandi *Hieron. de Luc. tract. de Camb. in verb. Marca ſub. num. 1. tom. 6. part. 1.* quod appellabatur Siliquaticum apud Mercatores, *Caſſiodor. lib. 2. & 4.* & apud Romanos Pontifices Marca, vt teſtantur Bullæ Summorum Pontificum concedentium Medicinam, & Argelatam Bononienſibus tandiù per eos tenendas ſub annuo Cenſu triginta Marcarum Argenti, quandiù fuiſſet de Romani Pontificis voluntate, & deindè ſub ſimili Cenſu Septuaginta Marcarum Sterlingorum confirmatæ, & Marcam conſtaſſe octo Vncijs *Iaſ. in §. omnes autèm num. 7. Inſtit. de act. & l. 2. §. ex his num. 16. ff. de verb. oblig. Alberic. in rubr. de hæred. q. 5. num. 6. Sarſen. q. 9. verſ. ſolutio, Couar. d. cap. 2. num. 3. & 4. Hier. de Luc. d. verb. Marca num. 1.* quem ſequitur *Romuald. Coli. tract. de Camb. cap. 11.* licèt ſibi contrariùs, dùm aſſerit

ſerit Marcam conſtare ſex Vncijs, & Marcam eſſe ſelibram.

Quarto ſeſcuncia, quæ appellabatur Vncia cum dimidia *Vulpian. de leg. præſtan. l. filium, & in l. Papin. §. quoniam autèm.*

Quinto Vncia, quæ diuidebatur in ſemunciam, & appellabatur ſiclus, & ſtater, ideſt librator omnium ponderum, eoſdemque eſſe, & pendere in ſemunciam aſſerunt *Prateius, & Ant. Auguſt. ad modeſtinum*, illoſque appellari *à Græcis* Tetradrachmum, *& ab Atticis* Tetradrachmam, & continere Drachmas quatuor teſtantur *Plinius, & Celſus.*

Sexto. Dicta Vncia, quæ paritèr diuidebatur in Duella, ideſt in tertiam partem Vnciæ, hoc eſt in octonum ſcrypulum, qui accipiebatur pro octo ſcrypulis, *in l. 1. C. de metalar. & metal.* ſicuti etiàm Octoni menſes pro octo menſibus *apud Plinium de Ceruis loquentem*, & ſubdentem octonis menſibus ferunt partus ad tradita *per Spiegel. & Prat.* indè aſſerentes, quod Octonus Scrypulus conſtabat duabus ſextulis, quas etiàm Duella

vocat

vocat *Cicero in Oratione pro Cecina*, *Bald. Inſtit. de hæred. inſtit.*

Septimo ſemuncia, quæ paritèr diuiditur in tres ſextulas, & vna ſextula cum dimidiâ dicebatur *Siciliens* cuius fit mentio *in l. liberto* 21. *ſ. filium de ann. legat. & apud Feſtum lib.* 17. & alibi *Sicilicus in l.* 21. *ſ.* 2. *de ann. legat.* & eſt Vnciæ quarta pars, *interpræt. Volaſ. Mætian. lib. de Aſſe, & Dioniſ. Gothofred., Bud. de Aſſe lib.* 1.

Oſtauo Didrachma continens duas Drachmas *Archidiac. cap. magnum* 11. *q.* 1. *Prat.*, & appellabatur *Stagium*, quod continere octo obulos ex verbis *Lampridij* de Alexandro Principe Romano loquentis colligunt *Budæus, nec non Spiegelius, & Prateius.*

Nono Denarius, ſeù ſextula, qui differt à Drachma, *vt ex Georg. Agricola lib.* 4. *l.* 13. *§.* 1. *l.* 20. *§.* 1. *ff. de verb. ſignif.* nàm erat ponderis quatuor ſcrypulorum, videlicèt vnius Drachmæ, & tertiæ partis alterius Drachmæ, *ex d. Agricola, ex Conano, & Alexandro Neapolitano.*

Decimo ſcrypulus, qui eſt vigeſima quarta pars Vnciæ *l.* 1. *& l.* 5. *C.*

de

de metal. lib. 11. *l.* 1. *de ponderat. in C. Theod. l.* 12. *de metal. in eodem C. allegat. per Metian. Briſon. & Prateium.*

Vndecimo Dictus ſcrypulus, qui antiquitus *ſemina*, ſeù *Carabas*, appellabatur continens in ſe ſex ſiliquas, *vt ex Priſciani* verſiculo.

Semina ſex alijs ſiliquis latitãtia curuis.

Duodecimo ſiliqua, quæ erat primum, & minimum pondus apud Romanos, & de ſiliquis fit mentio *in Auth.* ſed hodie *C. de Epiſc. & Cler., Io. Bellon. Etimolog., fusè Cuiac. obſeru.* 16. *num.* 23.

Decimo tertio. Dicta ſiliqua, quam continere Grana ſex *teſtatur Vulterranus poſt Plinium in ſua Philologia Commentar. Vrbis.*

Decimo quarto Mina, quæ *ab Atticis* Mna *ab Hebræis* Mnat, *à Græcis* Mnas appellabatur, quam conſtaſſe ex Drachmis Græcis centum, Romanam verò libram nonaginta ſex Drachmis effici; Mnam Atticam ſeptuaginta quinque Drachmis, *demonſtrat Fanius apud Priſcianum* illis verſiculis.

Accipe prætereà paruo quam nomine Graij Mnam

Mnam vocitant, noſtrique Minam
dixere Priores,
Centum hæ ſunt Drachmæ, quod ſi
modo dempſeris illis,
Quattuor, efficies hanc noſtram deni-
que Libram
Attica, quæ fiet quartam ſi dempſe-
ris hinc, Mna.

Ex quibus clarè conſtat pondera antiqua acta à *Solone* nihil differre à modernis, exceptis in Siliquis, cum hodiè Vncia diuidatur in centum, ſexaginta carratos, & Siliqua in leuiora Grana, ideſt Carratus in quatuor Grana.

Vndè aperto calculo dicendum venit, quod Siliquæ alio nomine Semina Sex Scrypulum conficiebant, tres Scrypuli Drachmam, Drachmæ additus Scrypulus Sextulam faciebat, vel Drachmæ addita tertia parte alterius Drachmæ faciebat quatuor Scrypulos, & quatuor Scrypulis conſtabat dicta Sextula, & vna Sextula cum dimidia, ideſt Scrypuli ſex, vel quarta pars Vnciæ Sicilientem, vel Sicilicum, ſeù ſtagium faciebant: Duæ Sextulæ Octonum Scrypulum, ſeù

BIBLIOTECA ... ROMA

ſeù duo Duella tertiam partem Vnciæ creabant. Tres ſextulæ, ſeù quattuor Drachmæ, vel Semuncia Tetradrachmum, ſeù Tetradrachmam, vèl Siclum conficiebant; Sex ſextulæ Vnciam, vel Drachmæ octo Vnciam faciebant, & Vncijs duodecim conſtabat Romana Libra. Attica verò Mna Septuaginta quinque Drachmas habebat, centum Drachmæ efficiebant Mnat Hæbreorum, ſicut Mnas Græcorum, nàm libræ Hebræorum erant maiores quattuor Drachmis Romana libra, ſicut Attica Mna erat quarta parte minor Mnat Hebræorum. Octuaginta Minæ conficiebant Talentum maius, ſexaginta Minis conſtabat minus Talentum, & Talentum appellabatur a *Græcis* Ciſtophorum, *a Latinis* Nummus, & præſertim *à Feſto Pomponio*.

Dictiſque ponderibus attentis antiquarum Monetarum valorem reduci ad modernum opinor, cum me non lateat, quod centenarius numerus in pecuniarum ratione As eſſet, atque haberetur, vndè retento prædicto Centenario, ſeù Aſſe opere pretium duxi. Dum

Dum certum eſt, cum primò Homines ſiluas incidiſſent nullarum rerum adhùc periti, Terrã caſu fertilẽ omnium ex incendij calore deſudaſſe Metalla, inter quæ *Orichalcum* poſſidens Æris duritiem, nec non ſplendorem Auri rubri continẽs, *vt ait Lucretius*, Illudque pretioſum viſum fuiſſe aſſerit *Cato*, dùm erat Auro mixtum, quod deduci non poſſe putauit antiqua ætas *l. idem Pomponius* ʃ. *ſed ſi plumbum ff. de rei vendic.*

Primò ex dicto Ære *à Thare Patre Abrabæ* ad requiſitionem *Regis Aſſiriorum Nini* fuit percuſſum primum Numiſma, & appellabatur Seſtertium, & Seſtertius, *vt ex Gigant. tract. de crim læſ. Maieſt. rubr. qualitèr. & quib. mod. crim. læſ. Maieſt. commit. quæſt. 62. num.* 11. *part.* 1. & quod dictorum Numiſmatum Species fuerit in Italia introducta *à Iano Gemino primo Rege*, nec non de eius mandato percuſſa, *ex Plutarco* manifeſtiſſimum eſt aſſerente, quod in vna parte ſui capitis effigiem, altera Nauim, qua aduectus fuerat in Italiam Saturnus exprimi voluit, *& Ouid. faſt.* 1.

At

At bona poſteritas puppim ſignauit in ære.

Hoſpitis aduentum teſtificata Dei. & appellabatur Seſtertius, ſiuè obulus æris, eratque ponderis duarum Drachmarum, & valebat duos Aſſes, & Semiaſſem, nec non Seſtertium mille Seſtertios, *Balduin. in Comment. Inſtit. de ſucceſſ. libertor. Cuiac. lib.* 10. *obſeru.* 37.

Secundo ex Argento cudi cæpta fuit pecunia, & Argenti tria genera ponit *Liuius lib.* 34. nempè infecti argenti fuiſſe pondo decem, & octo millia; facti Vaſa omnis generis; Signati octoginta quatuor millia fuiſſe Atticorum.

Infectum Argentum appellatur rude non factum, & in opera nulla coniectum *l. vlt. C. de depoſit. l.* 19. *ff. de furt. Seru., in* 6. *Æneid., Iſidor. lib.* 16. *cap.* 17.

Factum verò Argentum, quod Menſale vocat *Vopiſcus in Claudio*, veluti Paropſides, Tabula, Trulla, omneque aliud genus facti Argenti, *vt ex Iuuenal. Satir.* 3.

Quam multa, magnaque paropſide cænat.

& in

& in Euangelio lugubri Secundum *S. Matthæum*, dixit *Dominus noſter Ieſus Chriſtus*, ibi: *Qui mecum manum in paropſide intingit, is me traditurus eſt*, & ſecundum *S. Marcum* Catinus vocatur.

Signatum autèm Argentum vocatur illud, quod aliqua forma eſt expreſſum *l. 27. §. cui legatum ff. de aur. arg.*

Sed ne omittam alia genera, nempè Argenti viui, quod *Græci* Aqueum vocant, *Itali* ex motu Viuum, *Herm. Barb.* Minerale, & Naturale, *Spieg.* Hydrargyrium, ideſt Arte factum, illudque poſſe reddi fixum ſe ſe iactant *Alchimiſtæ*, & ex dicta fixatione inuenire poſſe Theſaurum, ſed eis reticere non poſſum illud metaphoricè, & pulcrè *Auſonij* dictum

Qui laqueum collo nectebat repperit aurum,
Theſaurique loco depoſuit laqueum.
At qui condiderat, poſtquàm non repperit aurum,
Aptauit collo, quem repperit, laqueum.

Maximè dùm appellatur Argentum

 illi-

illicitum, *vt ex l. Sacrilegij pænam §. fin. ff. ad l. Iul. pecul.*

Exindè quærendum venit, de quo genere Argenti cudi cæpit pecunia *Liuius* ſcribit per initia *Lib. 2. de bello Macedonico Carthaginenſi* eo Anno Argentum in ſtipendium impoſitum primum Romam adductum, id quia probum non erat *Quæſtores* renunciaſſe, experientibuſque pars quarta decocta erat, indè pecunia mutua Romæ ſumpta intertrimentum Argenti ſuppleuerunt de hoc Carthaginenſi fædere cum Romanis *dictus Liuius 2. belli Punici*, vbi refert Pacem datam fuiſſe, cum hoc, vt præſtarent decem millia talentùm Argenti *Puti*, *&* *Alphenum I. C. Serui Sulpitij* diſcipulum interrogatum quid de fædere Carthaginenſi ſuper qualitate Argenti tradendi intelligeret illum reſpondiſſe Argenti puri, & puti *omnes Auctores teſtantur*, & *apud Iuuenal.* putum appellatur, vt ex verſiculo

Pauca licèt portes Argenti Vaſcula puti,

& *in l. 31. ff. locat.* vocatur Puſulatum Argentum, & apud *Tranquil. in Nerone*,

rone, *&* *Martial. lib.* 7. *Epigram.* puſtulatum; exindè ſequitur, quod cudi cæpta fuit pecunia ex Argento puro, puto, & quaſi exputato, excoctoque, omnique aliena materia carente, & pro puſulato, ſeù puſtulato, ideſt copellato ſcribit *Sarſen. ad reg. Cancell. in reg. de var. experim. q.* 9. *verſ. ab iſtis*, & modum æſtimandi ſummam Argenti puritatem per numerum duodecim Denariorum, docet *dictus Gouar. cap.* 3. *tom.* 1. *aliíque ſcriptores* per duodecim gradus, quos Ligas vocant, vndè adempta ex Libra Argenti ſemuncia, & loco Argenti addita ſemuncia æris dicitur eſſe in liga denariorum vndecim cum dimidio, & adempta vncia Argenti, & loco illius addita vncia æris, dicitur eſſe in liga denariorum vndecim, & ſic diminuendo, & addendo vſque in finem, dicitur eſse in liga minori, vt explicat *Brun. tract. de monet. augum. tom.* 12 *fol.* 207.

Sed cum inuenta fuerit Aquam, quam Vulgus *Regiam* appellat, & *Alciatus* vocat *Chryſulcam*, Æs ab Auro ſeparari cæpit, vt Plumbum cum Ar-

gento *§. ſed ſi plumbum, vel ſi Æs cum Argento, l. lacus §. ſi Ære ff. de acquir. rer. domin.* vbi *quidam Doctor* putauit *d. §. ſed ſi plumbum* refragari non intelligens olim Aurum ab Ære fuiſse inſeparabile, non Argentum ab Ære, nec Plumbum *Forculatulus in Necyomantia Dialog.* 38. vndè variare cæpit dictorum ſeſtertiorum valor, & licèt ſuper varietate valoris eorundem elegantèr ſcripſerint *Bud. & Nebr. & Conan. Commen. lib. 2. cap. 9.* ſed talem varietatem potiùs deriuaſse ab Auaritia creſcente apud Antiquos opinor, dum ſuperius dixi ſeſtertium cudi cæpiſse ex Ære auro mixto, illudque ſeparari non poſse putaſse Antiquos, ſed inuenta *Aqua Chryſulca* illud deduci poſse eoſdem doctos fuiſse experientia magiſtra ad effectum extrahendi, ex ſeſtertijs Aurum cum Ære mixtum; Ecce quod conſtat de cauſa finali variationis, non omiſſis etiàm Cauſis conſideratis *per d. Couar. d. cap. 3. num. 3. verſ. quod ſi, & num. 4. tom. 1. & per Teſſ. Iun. tract. de monet. augm. par. 1. ſub num. 10. & 16. in 2. concluſ.* alijſque plu-

pluribus cumulatis *per Brun. in d. tract. fol.* 207. ità ſuadente diabolica filia nempè *Auaritia*, quam *Iuris Interpretes* ſortitam fuiſse nomen ex Ære exiſtimant ex cupiditate nedùm retinendi, quàm acquirendi *ex l.* 3. *§.* 3. *C. commun. de leg.* ſed *ex Viues lib.* 3. *de anima* fallere videntur, nàm incitata ſemèl ad alia acquirenda ſe accingit, dictaque pro execranda fame Auri vocatur *in l.* 29. *C. de Epiſc. & Cler.* imitatione *Virgilij lib.* 3. *Æneid.*

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Tertiò ex Auro cudi cæpit pecunia, & Aurum dictum à Nomine Inuentoris eſse putat *Hippocrates*, illumque vocitatum ait Aurum; *Alij* verò Aurium, nec non *Quidam* à ſimilitudine Auroræ coloris nomen traxiſse exiſtimant, *Nonnulli*, quia mentes Hominum auertat, *Alij* à Sabinis translatum putant, quod illi auſum dicebant.

Et ne omittam Auri diuerſas qualitates nempè.

Facti auri, infectique appellatione, quid contineatur, licèt ſuperiùs

declaraui ſub nomine Argenti, recurrendum venit *ad l. Quintus, l. Pediculis, l. cum Aurum de aur., & argent.*

Et de Auro in maſsa conſtituto *l.* 12. *C. de depoſit.* licèt maſsa rudem materiam Auri, Argenti, Æris ſignificet *l.* 10. *§. ſi Maſſæ ff. quib. mod. Vſufruct. amitt., & l.* 19., *& l.* 52. *§. ſi quis Maſſam ff. de fur., l.*44 *§. ſi Pocula ff. de legib. lib.* 1., *l.* 9. *§. ſi quis rem ff. ad exhib.*

De Auro largitionali *l.* 13 *C. de ſuſcept. præpoſ.* illudque ad aucupandum fauorem in petitione Magiſtratuum definitur *à Cicerone lib.* 3. *de legib.*

De Auro publico, quod in Ærario publico inferebatur *l. vnic. de aur. publ.*

De Auro coronario *definitore Gellio lib.* 5. *cap.* 6. erant Coronæ aureæ, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittebantur *Bapt. Egnat.* dicit fuiſse Aurum, quod Ciuitates, & Oppida nouis Imperatoribus ſub coronarum ſpecie ex quacunque lætitia ſponte offerebant *l. quæ diuerſarum, & l. ſeq. C. Theod.* & appellabatur

tur munus voluntarium, cuius ſit mentio *l. penult. C. de Iudæis*, *Prateius*, *& Vetranius de Iure liberorum cap.* 10. *forculatulus* in Cupidine Iuris perito *cap.* 20. & melius *ex Æneid.* 8.

Ipſe ſedens niueo candentis limine Phœbi.
Dona recognoſcit Populorum, aptatque ſuperbis
Poſtibus.

De Auro luſtrali, quod quarto anno pendebatur, *vt ait Zonaras* id onus erat Negotiatorum, & Mercatorum, & appellatur Negotiatorium *à Lamprid. in Alexandr.* huius ſit mentio *C. de luſtralis auri conlatione*, & appellabatur quoquè functio auraria *in l. ſinguli C. Theod.*

De Auro oblatitio, quod non Canonis, vèl Indictionis, ſed oblationis genere quodam *à Senatoribus* pendebatur ex relatis *per Prateium Simachi*, *& Sineſy Epiſtolis.*

De Auro glebali, quod poſſeſſionibus pendebatur, de quo ſit mentio *in l.* 2. *C. de Prætor.*, *& honor. Prætor.*, & eſse quoddam genus penſitationis, quod *Senatores* poſseſſionum ſuarum

cauſa *Principi* præſtabant, *vt in d. l. 2.* & *Follis Senatorius* vocabatur *Martian. in no. de indul. reliq.* quidquid ex titulo *Senatorij Follis* debetur, ſed etiàm *illi Senatores*, quibus nulla poſſeſſio erat duos *Folles* in Ærarium inferebant, *vt ex Conſtitutione Gratiani ad Hypatium in C. Theod. lib. 6.* Senatores autèm, qui inter illuſtres recenſebantur onus glebale non agnoſcebant, *Cuiac. ad d. l. 2. & ad l. Ius Senatorium C. de dignit.*

De Auro vicemario, quod ex viceſima colligebatur erat Vectigal quemadmodùm *Decima*, vt declarat *Spiegelius*.

De Auro illicito, quod *Alchimiſtæ* gloriantur extrahi *ex Mercurio* fixato, dictoque colorito (ſi eorum nugis haberetur fides) ſe ſe iactant in Aurum reducere perfectiſſimum, ſed ab experientia ſophiſticum, *forculatul. Dialog. 6. Necyoman.* quod appellatur *Auricalcum*, potiùs compoſitum ex Auro, & Ære habente colorem aureum, & contra vendentes Vaſa, & alia ex ſimili materia fabricata extat *dicta l. ſacrilegij pœnam §. fin. ff.* ad

ad l. pecul., Martian. l.45. ff. de contrahen. empt.

De Auro *Balluco*, ideſt nondùm purgato, neque adhùc in Maſsam redacto græcè *Chryſammos* dictum quaſi ab eo, quod ſit Aurum imperfectum, quod non eſt verbum latinum, prout *Accurſius* putauit, ſed *Hiſpanum*, vt ſcribit *Plin. lib. 33. naturalis Hiſtoriæ*, Hiſpani vocant *Balucam* Aurum, quod minutum eſt, *Iuſtin. lib.11. C. in Titulo de Metalarijs*, octonos inquit ſcrypulos in Baluca, *& l. ob metallum d. titulo*, cuius legis ſenſus hic eſt, quod ſi Metallarij conduxerint à Principe Aurifodinam aliquot auri libris, id debere eſse purgatum, quod ſoluendum erat, quod ſi voluerint ſoluere in Baluca debere pendere pro ſingulis libris vncias quatuor denas pro interrrimento auri, *vt dixit Spiegelius*, nàm quilibet *Octonus ſcrypulus* conſtabat *duabus ſextulis*, ſeù *duobus duellis*, ſeù *tertia parte Vnciæ*, vndè dicendum venit vltrà libram auri non purgati eſse tradendos octonos ſcrypulos pro qualibet Vncia, cum autèm libra conti-

neat Vncias duodecim, & vnicuique vnciæ addendi ſint pro intertrimento auri octoni ſcrypuli, vel ſexdecim ſextulæ, vtique patet eſse addendas vncias duas, & binas tertias alterius Vnciæ cuilibet Vnciæ auri non purgati, vndè aperto calculo ſunt addendæ Vnciæ triginta duæ dictæ libræ, dictæque libræ addendæ ſunt ſextulæ quadraginta octo conficientes Vncias octo, dictæque Vnciæ octo additæ dictis Vncijs triginta duabus, conſtituunt dictas Vncias quadraginta vltrà libram; Ac ſi dixiſſet loco libræ auri purgati, debere tradere Vncias quinquaginta duas auri imperfecti; Hic mihi videor audire ſomniantem *Accurſium* Baluca inquit *Vas lucens*, quaſi in eo Vaſe aurea Vectigalia Principi deferrentur, ſed quia hæc interpretatio illi non placebat, adiecit aliam non minus ridiculam, vel *Baluca* inquit quaſi *baiulans lucem*, hoc eſt *auri ſplendorem*.

De Auro obrizo multoties decocto non habente aliquam mixturam alterius metalli, nec Argenti cudi cæpit pecunia aurea, illudque vocari

à *Græ.*

à Græcis Aurum purum obrizatum refert *Sarſen. ad reg. cancell. in reg. de var. experim. q. 9. verſ. Aurum*, & vocari Aurum ex viginti quatuor carratis, *Brun. tract. de monet. tom.* 12. *fol.* 207. *num.* 1. & modum diſcernendi Aurum perfectiſſimum per numerum Viginti quatuor Carratorum *docet Teſſut. Iun. tract. de monet. augum. par.* 1. *num.* 16. vndè adempta ex maſsa (quam *plerique ſcriptores* libram appellant) Auri Vigeſima quarta parte, & loco illius addita Vigeſima quarta parte Æris, vel Argenti, tunc dicitur Aurum Viginti trium Carratorum, & ſic minuendo ex maſſa Auri, & loco illius addendo Æs, vel Argentum dicitur Aurum inferioris valoris iuxtà numerum Carratorum, eorumque partes traditum *per Couar. tract. de veter. collat. numiſ. cap.* 2. §. 1. *ſub num.* 4. *verſ. hæc autèm tom.* 1. *fol.* 679.

Ad perfectionem autèm Auri dignoſcendam vti *Lydio Lapide* appellato *Heraclio* à *Theofraſte* Aurifices, & alios dictamque qualitatem Auri perfricati *dicto Lydio Lapidi* ab eiſ-

dem cognoſci, & ſcrypulari mirabili ratione non fallente *citato Plinio lib. 33. naturalis Hiſtoriæ cap.*8. refert *dictus Couar. ſub dicto num.* 4. & quod *Lydij* omnium primi numiſma Argenteum, & aureum percuſſerint, & quod *numiſma argenteum* fuerit Romæ percuſſum *à Phædone*, & poſtea *Aureum numiſma*, quod appellabatur *Ducatus* à Ducato Romano, & in Iure *ſolidus* refert *Gigant.*, & quod multa ſæcula tranſierint abſque Nummorum vſu *citato Ariſtotele* ſcribit *Sott. de Iuſt., & Iur. lib. 6. q. 2. art. 1.*, & quod *Seruius Romanorum Rex primus* ſignauerit Æs *nota pecudum*, vndè *pecunia* dicta eſt *citato Plinio* refert *dictus Sott. ibidem*.

Vndè pecuniæ verbum originem trahit ex ſignato Ære, Argento, vel Auro, *l. Iulianus §. mutui ff. ad Senat. Macedon. l. ſi quis 4. §. pignori ff. de reb. credit. ſi cert pet.* & appellari Pecuniam *ex l communi* Gentium *Conan. lib. 5. cap 2., & lib. 7. cap. 1.*

Hinc Pecunia otioſa dicebatur illa, quæ non exercebatur, nullumque ſuo Domino fructum afferebat, *l 13.*

§. vlt.

§. vlt. ff. de vſur., l. 3. §. Vſuras de contrahen. Tut., Plin. lib. 10. Epiſtolarum ad Traianum.

Fragilis Pecunia ea erat, quæ ob tranſitum exercitus conferebatur à Ruſticis ad effectum redimendi portionem fructuum, quam præſtare tenebantur, *Varro de ling. latin. lib. 4., l. 79. de legib. 3., l. 27. §. 3. de Vſufr.*

Chirographaria, quæ ſine pignore credebatur, *Gottofred. ad rubr. C. etiam ob Chirograph. pecun.*

Exacta non ſolum referebatur ad ſolutionem, ſed etiam ad delegationem *l. verbum ff. de verb. ſignif.*

Mutua, quæ adhùc mutuo data non erat, ſed ea deſtinatione habebatur, vt mutuaretur *l. malum §. 2. ff. de verb. ſignif.*

Nautica, Traietitia, Maritima } dicebatur ea, quæ periculo Creditoris in nauim recepta traicienda committebatur, *iuxta allegatas per Spiegelium l. qui Romæ §. Calimachus ff. de verb. oblig., l. Traietitiæ ff. de act. & oblig. l. 1., & l. nihil §. operis ff. de naut. phænor., Cuiac. ad l. 122. ff. de verb. oblig. §. Calimachus*

Nu-

Numerata } appellabatur ea, quæ
Nominata } certa erat proprijſ-
Nuncupata } que nominibus pronunciata, nuncupata verò non de recto nominata, ſed promiſſa, & quaſi teſtificata, circumſcripta etiàm in votis Nuncupantis, *Cincius lib. 2. de offic. Iur. Conſult.*, *Santra lib. 2. de verb. antiqu.*, *Conan. lib. 9. cap. 1.*

Certa Pecunia dicebatur ea, cuius qualitas cum quantitate expreſſa erat *l. 7. §. penult., & l. vlt. C. de contrahen. empt.*

Incerta appellabatur ea, cuius, nec qualitas, nec quantitas expreſſa erat *Prateius*.

Accepta dicebatur etiàm quidquid pro pecunia accipiebatur *Vulpian. in l. 1. & ſeq. ff. de calumn.*

Redacta non ſolum appellabatur ea, quæ exacta erat, verum quæ exigi potuit, nec erat exacta *l. ſi poſſeſſor §. redactæ ff. de petit. hæred.*

Minuta, quam appellat *Vulpian.* more Quiritum, Teruntium, Semiaſſem, aut Aſſem *l. ſi plures §. 1. ff. de pact.*

Fænebris, ideſt credita ſub Vſuris

exi-

exigendis in Kalendis *l. lecta, l. penult. ff. ſi cert. pet.*, & meliùs *ex Horatio* explicatur.

Odiſti, & fugis, vt Driſonem Debitor æris
Qui niſi cum triſtes miſeræ venere Kalendæ
Mercedem, aut Nummos, &c.

Circumforanea vocabatur ea ad vſuras accepta *Oldendorpius, & Cicero ad Atticum.*

Stipendiaria appellabatur pecunia, ſiue Æs militare *Varro lib. 4, & Vulpian. in l. 27. ff. de verb ſignif.* Stipendium (vt inquit) à ſtipe appellatum erat, quod per ſtipes, ideſt per modica Æra colligebatur *l. neque ff. de impenſis*, & erat Denarius in ſingulos dies, qui Vnciæ Argenti octaua pars erat, *Tacitus lib. 1., Alciat. l. Ager. ff. de verb. ſignif.* à tempore citrà, à quo pars ponderis ab antiquo receſſit, vt infrà.

Impenſa pecunia, ideſt repoſita nuncupabatur ea, quæ nondùm penſa erat, ſed tantum ſtipata, *l. 1. ff. de Colleg. & Corp.*, & appellabatur etiam impenſa, quæ nec in Theſauri ſtipe

inſu-

inſuſa erat, ſed etiam ea, quæ pia, & recta voluntate dabatur, *vt ex Ouidio*.

Dic inquam parua cur ſtipe quærat opes
Contulit Æs populus, de quo Delubra Metellus
Fecit ait dandæ mos ſtipis inde manet.

Inuentralis pecunia dicebatur ea, quam plerique à lateribus deferre ſolebant in ſemicincio, quod & ventrale appellabatur ſubtus occultos habere loculos, *Plin. lib.* 8.

Vſualis nuncupabatur pecunia currens *cap.* 2 *extr. de maledic.*

Æroſa dicebatur Ære mixta *l. Creditor* 120. *de ſolut.*

Maiorina, ideſt maioris pecuniæ figuratio vetita *ex C. Theod.*, *Briſon.*

Eraſa appellabatur ea, quæ non iuſti ponderis erat *l. quicumque ff. ad l. Corn. de ficar.*

Adulterina, ideſt falſa *l.* 1. *in princip. C. de falſ. monet.*, nempè ſi non ſit in ſpecie proba, nec debitum pondus habeat, nec ea forma excuſſa, quæ iuſta ſit, & legitima, *Balduin. tit. de*

publ.

publ. Iud., & *Tonſores pecuniæ*, nec non *expendentes*, & reſpectiuè *fabricantes* monetam falſam, etiàm neceſſitate compulſi frequentioribus calcaribus equeſtres, non pedeſtres ad Inferos animam ſuam ducere conantur.

Remanet quoquè aliquid dicendum *de Moneta*, & vt refert *Suidas* cultam fuiſſe à Veteribus *Iunonem Monetam* ex eo,quod in bello aduerſis Pyrrhum, & Tarentinos de pecunia laborantes benigno reſponſo, ope, conſilioque iuuiſſet, nec non ijdem Veteres *Monetam Deam* eſſe dicebant, quæ pecuniæ curam haberet grauitèr animaduertentem eos, qui dolum malum in pecunia committerent, qua etiàm ratione *doctiſſimi Grāmatici* cenſuerunt, *Monetam* dici, quod moneat, *ne quid fraudis in Ære, Signo, vel Pondere* fiat, *Corraſ. lib. 3. miſcell. cap. 13., Torneb. Aduerſar. lib. 4. cap. 3.* Nec non *Monetam* ſic vocari eo quod *ſigni impreſſione Auctoris, & valoris* nos moneat *ſcribit Ioan. Ferrar. in vſib. ſæud. lib. 5. cap. 5. inter regalia verſ. monetam dicimus tom.*

10. *par. 2. fol.* 116., ſeù *Monetam*, quod moneat in eo metallo ſignato nullam eſſe fraudem, *Teſſut. Iun. tract. de augum. & variat. monet. par.* 1. non omiſſa etiàm *Moneta*, qualis apud Lacedæmonios fuit percuſſa in quodam Corio, vel alio quolibet, quod vſum pecuniæ præſtet *Briſonio teſte*, & vt tradit *Teſſut Iun. d. tract. par.* 2. quod etiàm *ex Charta, ſimilique materia* fabricari moneta poſſit, & *publico Caractere* inſignita reijci non poſſit, & vlteriùs memini me legiſſe ex Cauſa obſidionis, & belli cum infeſtiſſimo Hoſte in Inſula Meleuitana *Monetam Æream* percuſſam fuiſſe, quæ expenderetur non tanquàm *Ærea*, ſed tanquàm *Argentea*, ſignato in ea valore cum illis verbis

Non Æs ſed fides.

Inde *Triumuiri monetales*, qui *& Treuiri* Auro, Argento, Æri feriundo conſtituti erant, *Pompon. in l.* 2. §. 16. *ff. de origin. Iur.*, & latè de eorum officio *ſcribit Cicero lib. de legibus*, quod erat *Numiſmata probi Auri, & Argenti, iuſtique ponderis examinare*. Vnde ille celeberrimus Vates retulit ſcribens de Nerone. *Non*

Non circumciſa, & iuſti uis ponderis
Æra
Quæ noua cuduntur? ſint Capite abſque tuo.

Sed antequàm Monetæ ad examen vocentur, non omittendum eſſe opus exiſtimaui, vndè originem trahant nomina

Quiritum
Quæſtorum
Quæſitorum
Senatorum
Tribunorum Plebis
Priuatorum
Populi

& deinde quid foret

Follis Senatorius
Donum.

Quirites *Romani* appellabantur *à Quirino*, ideſt *à Romulo*, & hoc nomen aliquando Romanis obbrobriò fuit, quaſi qui præter nomen nihil haberent, antiquæ Virtutis, & Audaciæ, *Cæſar apud Lucanum* teſtatur his verbis: *Diſcedite Caſtris, tradite ſigna Viris, ignaui ſigna Quirites*, & *Lampridius in Alexandro: Vos omnes hodiè vno ore, atque vna voce Quirites* dimit-

dimiſſam, non enim digni eſtis, qui Romanæ Plebis ſitis, & nihilominus cum poſt iſta verba fremerent exclamauit: *Quirites diſcedite, atque arma deponite*, vt refert *Conan. lib. 9. cap. 5. num. 1.*

Quæſtores à Senatoribus electi, Ærarium quærebant, eiuſque pecunias expenſas, & acceptas in Tabulis publicis referre conſueuerant, *Liuius lib. 7.*, eoſdemque ſigna ex Ærario prompſiſſe Imperatoribus ad Bellum exeuntibus teſtatur *Pomponius in l. 2. §. 12. de orig. Iur.*, & ità appellari ab inquirenda, & conſeruanda pecunia *Vulpian. in l. 1. ff. de offic. Quæſt.*

Quæſitores erant illi, qui iuſſi tenebantur quærere de crimine publico *l. 2. ff. de orig. Iur.*, *Liu. lib. 38.*, *& 39.* vt ſeruatur nunc Venetijs tàm laudabilitèr, & temporibus antiquis apud Romanos Seruatum fuiſse refert *Sigonius de antiquo ciuili Romanorum Iure lib. 2. cap. 18. vbi fusè, & Asconius* exponens hos *Virgilij* verſus *lib. 6. Æneid.*

Quæſitor Minos Vrnam mouet ille ſilentum
Conciliumque vocat, Vitaſque, & crimina diſcit. ait

ait *Virgilium* Minoem Iudicem apud Inferos tanquàm ſi Pręcor eſſet rerum Capitalium. *Quæſitorem* appellaſſe, dediſſe *Sortitionem*, cum *Vrnam* nominat, electionem *Iudicum*, cum ait *Conciliumque vocat*, cognitionem *facinorum*, cum dicit *Vitaſque*, *&* *crimina diſcit*.

Senatores ità dicti *à Senio*, vt ex Ouid.

A ſenibus nomen mite Senatus habet, quod latinum nomen non eſt, ſed barbaricum *teſte Cicerone*, qui ait apud Lacedæmonios *Senes* appellari eos, qui ſummum quendam Magiſtratum gerebant; ſolùm enim Senibus Cura Reipublicæ demandabatur *l. ſemper de Iur. immunit*, *l. ad Rempubl. de muner. & bonor.* Alij Clariſſimi, Alij Spectabiles, Alij Illuſtres, *Cuiac. in l. 2. de dignit. C. lib. 12. & l. 15. ff. de excuſat.* & latè de Senatoribus, & de Senatu, *Gulielm. Bud. explicat in l. fin. ſub. tit. de Senat.* & licebat eiſdem vnum tantum Senatus Conſultum vna die facere, *Conan. Commentar. Iur. Ciuil. lib. 1. cap. 14. num. 56.* & Senatus Conſulto opponere ſe ſe *Tribu-*

ni

ni *Plebis* poterant, cæterum intrare Curiam Tribunis non licebat, ſed ante Valuas poſitis ſubſellijs Decreta Senatorum attentiſſima cura examinabant, vt ſi quæ ex ijs improbaſſent, rata eſſe non ſinerent, itaque Veteribus Senatus Conſultis *T. littera* ſubſcribi ſolebat, eaque nota ſignificabat illa Tribunos quoque cenſuiſſe, *Valer. lib. 2. cap primo*, dictorumque Tribunorum iuſſu Conſules cum ſūmo Imperio triumphantes de Curru triumphali obtorto collo trahebantur, & in Carcerem ducebantur, & de origine dictorum Tribunorum Plebis electorum contra potentiam Senatorum, eorumque decreta tradunt *Liu. lib. 3. 6. 7. & 9. Dioniſ. lib. 6. & 10. Plutarc. in problem. Macrob. in Saturn. 1. Prateius, & Hottomanus*.

Hinc *Vulpianus* appellat *Senatus Conſultum Macedonianum à Macedone iniquo Fæneratore*, qui primus omnium inſigni quadam auaritia inductus, *mutuam cæpit dare pecuniam filijs familias, vt poſt mortem Parentum ſoluerent ſub magno fænore*, quod ne traheretur ad exemplum, & paulatim ad

con-

conſuetudinem fuiſſe Auctorem Senatum, quod pecuniam mutuò datam amitteret Sceleſtus Creditor, vt teſtatur *Suetonius cap.* 11. exindè appellari *Peregrinos Principes*, ideſt *Populi defenſores* teſtatur *Pomponius Letus*, & nullus intèr eos erat *Princeps*, ſed illi æquo per omnia iure imperabant, *Nortman. lib.* 2. & nulla affectione ducti Ciuibus emeritis, & edoctis in ſcientijs commoda in premium cuiuſcunque laboris ſtipendia dare conſueuerant, etiam non petentibus, vt alacri ſtudio Iuuenes ſitibundi poſſent glorioſæ Vocis confiſi munimine laborantes ſpem, vitam, & poſteros defendere, arripiendo à Magiſtris eruditam diſciplinam, proùt arripuiſſe *Baldum à Barthولo* eius Magiſtro teſtantur *Auctores* quos recenſere hìc opus non eſſe exiſtimau, dum modernis temporibus nec Vmbra Iuuenum ſequitur corpus eorum.

Clariſſimi Senatores nominabantur Comites, & Tribuni *l. Vnic. C. de annon. & captiu.* ſed etiàm electi per gratiam, & præmium, vt ſcribit *Riuallius lib. 2. hiſtor. Iur. Ciuil. fusè Cuiac.*

Iac. Gottofred. ad rubr. C. de Tutor. vel Curator. illuſtr. vel clariſſimar. ſed hodiè *C. de Tollitoribus*, nàm Cæſar Maximilianus *Tutores* feſtiuè vocare ſolebat *Tollitores Rerum Pupillorum*.

Spectabiles vocabantur Præfectus Auguſtalis, Comes Orientis, Proconſules, & Vicarij, *l. Vnic. C. de ratiocin. oper. publ. l. vnic. C. vt omnes Iud. l. 32. C. de appellat. l. 3. §. illud, & l. vlt. C. de Canon. largit. tit. lib. 2. C. eod. l. 47. & l. 59. ff. de decur. lib. 10.* proùt quoquè Duces exercitus *l. 36. C. de appellat. & l. 3. C. de offic. milit. Iud. l. vlt. de offic. Præfect. Prætor.* & Alij recenſiti *in l. vlt. vbi cauſ. fiſcal. l. 37. §. 1. C. de appellat. l. vlt. de Decur. l. 30. C. de inoff. l. 4. C. de Aduoc. diuerſ. Iudic. & Iudic. l. 32. C. de appellat. l. vlt. C. de mod. multar. l. Vnic. de annon. & captiu. l. 4. C. de Iuriſd. omn. Iud. l. 11. in fine, l. 13. C. de Aduoc. diuerſ. Iudic. Gottofred. in Epilog. nouel. 7.* Spectabiles autèm erant inferiores Illuſtribus dignitatè, eamque Militiæ Deterſis Antiquitatem tribuiſſe teſtantur *Caſiodor. lib. 2. var. Epiſt. ad Stef. Briſonius, & Frateius*.

Illu-

Illuſtres, ideſt magni nominis, qui mox ad Principis latus admoti erant, *Angel. in l. 1. C. de Præpoſ. labor. lib. 12.* Præfecti, Prætorij, Præfecti Vrbis, Quæſtores, Magiſtri Militum, Magiſtri Officiorum, Comites rerum priuatarum, Comites domeſtici *l. 32. C. de appell. l. 2. ſ. ſin autem C. de temp. appell. l. 6. C. vbi cauſæ fiſcal. l. Vnic. C. ne rei milit. Comitib. l. 11. C. de Adſeſſoribus l. 8. C. de defenſ. Ciuit. & ex l. vnic. C. de ratiocin. oper. publ. & l. 1. C. vbi Senator,* & ex Nouella *Valentiani*, quæ fuit inſcripta *de Honoratis, & quis præferatur in gradu* quinque facit Virorum Illuſtrium gradus.

Primus eſt eorum, qui verè illuſtrem dignitatem geſſerunt.

Secundus eſt vacantium præſentium in comitatu Principis.

Tertius vacantium abſentium.

Quartus Honorariorum præſentium.

Quintus Honorariorum abſentium.

proût quoque colligitur *ex l. 9. C. de metat. lib. 12.*

Sed ne omittam aliqua *de Principe*, ità appellato à principio, quod *Primus omnium* dominetur, quodque præſit, eſt *lex animata* in Terris, *Auth. de Conſul. ſub. fin. & Auth. quib. mod. natur. effic. legit.* & licèt ſit *ſolutus legibus;* Interim digna Vox eſt fateri *ſe alligatum legibus*, vt elegantèr probant *l. Princeps ff. de legib. & l. digna vox C. eodē tit.* (Et vt inquit) *Plutarchus* Princeps quis erit, nempè *lex*, quæ omnium *Regina eſt Mortalium, & Immortalium* (vt inquit) *Pindarus*, quem ſequuntur *Accurſ. & Corraſ. in l. Princeps 31. ff. de legib., & d. Corraſ miſcel. vlt. num. 6.*, & egregiè *Vulteius ad §. ſed & quod Principi 7. num. 5. & 6. Inſtit. de Iur. nat. Oldendop. & Prat.* dicens, quod nihil eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Principe *l. inter claras C. de Sum. Trinit. Corraſ. 2. miſcel. cap 25. num. 5.* & obligatum eſſe Principem *ex Iure diuino, & naturali* tenuerunt *Bald. in l. fin. C. de legib.* & pulcrè *Salamon. in comentar. quos ſcripſit in tract. de legib.*

Priuati vocabantur illi, qui non

fungebantur aliquo publico munere, cui dignitas adſit, *teſte Prateio allegante l. eum qui ff. de iuriſdict. omn. Iudic.*

Populi ſub nomine nedùm continebantur *Patritij*, ſed etiàm *Plebs infima*, ideſt *cuiuſque ordinis, & conditionis Ciues* ex illa inſcriptione Senatus, Populuſque Romanus, *vt ex Martial.*

Dat Populus, dat gratus eques, dat Thura Senatus

Et libant latiæ tertia dona Tribus. itaque Populi appellatione omnes ordines Romæ continebantur *ſ. plebiſcitum inſtit. de iur. nat. Gædd. ad l.* 15. *num.* 7. *ff. de verb. ſignif. & Cicer. in lib. de rep. S. Auguſt. lib.* 19. *de Ciuitate Dei cap.* 21. definiebat *Populum* tanquàm *Cætum multitudinis Iuris conſenſu, & vtilitatis communione ſociatum.*

Follis *ſub Theodoſio Iuniore* erat *Tributum Mulorum* ab eo conſtitutum Conſtantinopoli, quod his ſibi in Bello opus eſſe diceret.

Follis autèm aliud Tributi genus erat, de quo fit mentio *in l.* 2. *&* 3. *C.*

Theod. & l. 2. C. de Prætor. lib. 12. & quod nobiliores quique Ciuitatis pendebant, prout ſecundum habitationes fuerant comprehenſi, vt nobilitas, quæ ad bonam fortunam illos perducere debuerat hoc incommodi ſecum afferret; Primò quidèm Tributo Auri libræ octo; ſecundo quatuor; Tertio duæ pendebantur *vt tradit Æſicous illuſtris Philoſophus in ſexto hiſtoriæ de tempor. diuiſ.*

Donum continebat vncias quindecim Argenti, *vt tradit Madiuonus in eius libro inſcripto Apophthegmata Sapientum.*

Sed antequàm monetæ ad examen vocentur quærendum venit de pretio *Argenti*, & *Auri*, & de *eorundem valore*, ita quod *valor vnius Monetæ ſuccedat loco alterius*. & licèt pluribus in locis vocentur *Aurei* pro *ſolidis Auri*, & ſic ex verbis corruptis vocabo *Aureos* pro *ſolidis Aureis*, antequàm deueniam ad declarationem *Argentei nummi*, ſeù *Argentei*, nec non *Aurei nummi*, ſeù *Aurei*, & quam quantitatem ſolidorum Aureorum contineat.

Et

Et primò *ex l. quotieſcumque C. de ſuſcept. præpoſit. Iaſ. in l. fin. ff de in Ius vocat.* clarè liquet Libram Auri conſtitui ex ſeptuaginta duobus Aureis, quodque confirmatur *à Petro Ancorano lib.* 10. & quod Vnciam Auri ſex Aurei conficiant *teſtatur Antonius Auguſtinus lib. 2. cap. 9. & cap. vlt.* & quod Aureus centum ſeſtertios valuerit *ex Tacito* clarè liquet *lib.* 17. *de Othone*, vt per ſpeciem conuiuij quoties Galba apud Othonem epularetur Cohorti excubias agenti *viritim centenos nummos ſeſtertios* diuideret, *at Suetonius de eodem* quoties Cæna Principē acciperet *Aureos* excubanti Cohorti diuidebat, hinc centenariæ cenæ dictæ à centenis ſeſtertijs *à Tertulliano in Apologia contra Gentiles* vocantur, quæ pauciores erant, fusè *Crinit. de boneſta diſciplina lib.* 14. *cap.* 6. & *ex Plutarcho* ſeſtertium generis neutri decem Aureis æſtimabatur, & Aureus centum ſeſtertijs generis maſculini *ex Dioniſ. lib.* 55. aſſerentis cum Auguſti in Palatium ſe contuliſſet qualiter multi multa illi conferrent, & quod aliud non acce-

pit niſi tantùm à Populis Aureum, à Priuatis verò Drachmam, *& Annonius* teſtatur à Carolo Caluo in Gallia, & Burgundia exactum fuiſſe pro Tributo ſolidum pro vnoquoque Manſo dominicato, & denarios quatuor de vnoquoque manſo ingenuo, & totidem de Cenſu Dominico, & de facultate Manſuarij, & denarios duos de Cenſu Seruili,& de facultate Manſuarij; & Aureum valuiſſe Drachmas viginti quinque, & Drachmam decem Aſſes *ex Plutarcho in Vita Camilli* cla è liquet, aſſerente Camillum mulctatum fuiſſe quindecim mille Aſſibus, dictamque ſummam Drachmas millequingentas conficere per decem deductam, & *in l. Papia recenſita per Conan.* Centenarius appellatur, qui mille Aureis antiquis cenſebatur, quodque corroboratur *ex Vulpian. in l.* 1. *§.* 5. *ff. de var. & extraordin.* licitum Aduocatorum honorarium pro ſingulis cauſis vſque ad centum Aureos recipere *Cornelius Tacitus lib.* 11. ſcribens de Claudio Cæſare, qui pecunijs pro Aduocatione capiendis modum impoſuit, ait eum ſtatuiſſe

mo-

modum vſque ad dena ſeſtertium.

Quibus attentis vnitim examinatis clarè patet ſeſtertium valuiſſe decem Aureis, ideſt ſolidis, & Aureum ideſt ſolidum centum ſeſtertijs, ſeù Viginti quinque Drachmis Argenti, & Drachmam quatuor ſeſtertios, ſeù decem Aſſes, & ſeſtertium generis maſculini duos Aſſes, & ſemiaſſem, vnde valutando dictum Aſſem pro obulo monetæ currentis de præſenti Bononiæ, clarè elicitur libram Auri valuiſſe liras noningentas. lir. 900.

Et conſequentèr Vnciam Auri liras ſeptuaginta quinque. lir. 75.

Et libram Argenti liras quadraginta octo. lir. 48.

Et ſic Vnciam Argenti liras quatuor. lir. 4.

Et Drachmam Argenti ſolidos decem. lir. —— 10

Vndè tribuendo ſex ſolidos aureos vnciæ auri, Aurei ſolidi valor deſumitur in liris duodecim cum dimidio. lir. 12. 10

Quodque corroboratur ex Viginti quinque Drachmis

Argenti, nàm idem pretium lirarum duodecim cum dimidio conſtituunt Viginti quinque Drachmæ ad rationem ſolidorum decem pro qualibet Drachma. lir. 12. 10

Et dum decem Aurei ſolidi conſtituunt vnum ſeſtertium valoris lirarum centum viginti quinque. lir. 125.

Nàm mille ſeſtertij valutati ad rationem ſolidorum duorum cum dimidio eandem ſummam conflant. lir. 125.

Et vnum ſeſtertium valoris lirarum centum viginti quinque. lir. 125.

Ducentum quinquaginta Drachmæ Argenti conſtituunt, quæ ad rationem ſolidorum decem pro qualibet Drachma, vel ad rationem quatuor ſeſtertiorum numeratæ aſcendunt ad mille ſeſtertios, dictique ſeſtertij ad rationem duorum Aſſium, & ſemiaſſis conflant aſſes bis mille quingentos, dictique

Aſſes

Aſſes ad rationem ſolidi valent liras centum viginti quinque. lir. 125.

Et quod dictus ſeſtertius fuerit ponderis duarum Drachmarum claré patet *ex Balduin. & Cuiac. ſupra citatis*, vndè tribuendo bis mille Drachmas ponderis ſeſtertio generis neutri, dicendum venit ſeſtertium conſtaſſe libris Viginti, & Vncijs decem Æris, quæ ad rationem lirarum ſex pro qualibet libra Æris valutatæ dictam ſummam conflare videntur. lir. 125.

Et libram Æris valuiſſe liras ſex. lir. 6.

Vnciamque Æris ſolidos decem. lir. — 10

Idque comprobatur ex quatuor ſeſtertijs, qui ad rationem duarum Drachmarum conſtituunt Vnciam Æris, dictique ſeſtertij valutati ad rationem duorum Aſſium, & ſemiaſſis ad dictam ſummam aſcendunt. lir. — 10

Et quod Aſſis Baiocco comparari poſſit manifeſtiſſimum eſt *ex Plutarco* ſupra citato, & ſic in ſolido vno deſumitur valor dicti Aſſis. lir. —— 1

Semiaſſis dimidio Baiocco comparatur licet corrigendus ſit error, quem Typis Impreſſor fecit, imprimendo loco verbi ſemiaſſes verbum ſemiſſes, cum me non lateat, quod ſemiſſes à Veteribus vocabantur illi Homines, qui breuiculi, atque minutiores extarent, quaſi ad menſuram dimidij Aſſis veluti *ſemodij*, & *ſemuncie*, Vnde *Valerius ad Ciceronem* inquit *ſimius, non ſemiſſis homo contra me arma tulit*, ſed, & Pagani, vt *à Tertulliano* proditum eſt, *Chriſtianos* ridiculo nomine *ſemiſſes*, & *ſarmentarios* non alia ratione vocarunt, quàm quod ad ſtipitem dimidij Aſſis reuincti ſarmentis adductis igne concremarentur *Crinitus de honeſta diſciplina lib. 1. cap. 13.*

Hinc Teruntij, ità dicti à tribus Vncijs Æris, cuius vtilitas in prouerbium abijt, *Eraſm. in Chiliad. & Bud. de aſſe*, cuius valor deſumitur in ſeſtertij

tijs duodecim cõflatis ex viginti quatuor Drachmis Æris conſtituentibus vncias tres Æris, vel ex quarta parte libræ Æris, & ſic eiuſdem *Teruntij* valor clarè elicitur in ſolidis triginta monetæ currentis, ſiuè valutando Vnciam Æris ſolidos decem, ſiuè ſeſtertios ad rationem duorum Aſſium cum dimidio.

Hinc memor carminum, quæ à Diſcipulo frequens lectitabam in Gymnaſio *Adm. R D. Bonauenturæ de Rubeis Humaniorum Litterarum hoc etiam tempore in hac Patria publici Profeſſoris*, videor mihi poſſe perobſcurum dilucidare *Iuuenalis* locum, loquentis de Criſpini Gula ibi:

Mullum ſex millibus emit.
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Et quod Criſpinus ſex ſeſtertia conſtituentia ſex mille ſeſtertios expenderit in emptione Piſcis ponderis librarum centum viginti quinque clarè patet, nàm mille ſeſtertij in pondere conſtituunt Drachmas bis mille, conſtituentes pondus librarum viginti, & Vnciarum decem,

vndè ſex ſeſtertia multiplicata per libras viginti, & Vncias decem aſcendit pondus ad libras centum viginti quinque, dictaque ſex ſeſtertia calculata ad rationem lirarum centum viginti quinque pro quolibet ſeſtertio, ſiuè multiplicando dictos ſex mille ſeſtertios per duos Aſſes, & ſemiaſſem, aſcendunt ad quindecim mille aſſes, dictoſque aſſes valutando ad rationem obuli, vèl valutando dictos ſex mille ſeſtertios ad rationem ſolidorum duorum, & denariorum ſex, aſcendit ſumma ad liras ſeptingentas quinquaginta. lir. 750.

per dictum Criſpinum expenſas in emptione Piſcis ponderis librarum centum viginti quinque empti ad rationem lirarum ſex pro qualibet libra (quod non videtur mirum noſtris temporibus) dùm expenduntur liræ quatuor, & vltrà in vna libra piſcis, quem vulgus appellat *Sturione*.

Attentis prædictis clarè liquet ſeſtertia in numero plurali, & genere neutro enunciata continere mille ſeſtertios pro vnoquoque; itaquè nihil intererat inter centum ſeſtertia, & cen-

& centum millia ſeſtertiorum, & centies ſeſtertium id intelligendum eſt centies centena ſeſtertia, ſiuè centies centena millia ſeſtertiorum, vt annotauit *Balduin. in commen. Inſtit. de ſucceſſ. libertor. Cuiac. lib.* 10. *obſeru.* 37.

Sed antequàm Monetæ Argenti, & Auri ad examen vocentur, dùm de valore Argenti conſtat ab Anno Natiuitatis Domini Noſtri Ieſus Chriſti quadrageſimo tertio, videlicèt à Claudio Cæſare vſque ad annum 1200. ad effectum inueniendi, quid foret *Argenteus*, & *Aureus* dubium non leuitèr excreuit *Gigant.* qui aſſeruit primum *Numiſma* argenteum, & aureum percuſſum Romæ appellari *ducatum* à Ducatu Romano, nec non *Cicero* loquens de Triumuiris, quod eorum offitium erat Numiſmata probi argenti, & auri, iuſtique ponderis examinare, & quod tempore Domini Noſtri Ieſus Chriſti dicto um Numiſmatum ſpecies adeſſet, clarè patet *ex S. Matthæo* referente qualitèr fuit *Ieſus* à Iudæis interrogatus, *dic ergò nobis, quid*

tibi

tibi videtur, licet Cenſum dare Cæſari an non? Quibus *Ieſus* reſpondit, *oſtendite mihi Numiſma Cenſus*, quo ſibi oſtenſo dixit, *cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio*, & dixerunt *ei* Cæſaris, tunc *Ieſus* dixit, *reddite ergò quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*, nec non *Lampridius loquens de Alexandro Principe Romano* ibi: *Vectigalia, &c. vt qui decem Aureos ſub Eliogabalo præſtiterant, Tertiam partem Aurei præſtarent ex eo quod anteà ſemiſſes aureorum formati erant, tùm etiam cum ad tertiam partem aurei Vectigal decidiſſet, dicente Alexandro, & quartarios futuros*, nec non *Liuius lib.* 1. in Claſſium conſtitutione centenarij dicuntur, qui centum millibus Æris Cenſi erant centinarij auri *l.* 12. *C. de Curſor publ. Briſon.* & de Centenarijs *Vulpianus* frequentèr *in l.* 16. *ff. de Iure patronat.* & *apud Imperatorem* Centenarij appellantur, qui centum millia ſeſtertiorum in bonis haberent *ſ.* 2. *de ſucceſſ. liber. & ſ. ſeq.* legitur centum millia ſeſtertiorum centenis aureis comprehendi (quod falſum mihi videtur) nam

mille

mille ſolidi aurei, ideſt ſextulæ mille ſeſtertiorum faciunt centum millia, nec non *Conanus in l. Papia* centenarium appellari Aureum, qui mille Aureis antiquis cenſebatur, nec non *Doctores* aſſerentes Denarium, & nummum idem eſſe *in l. lecta ff. ſi cert. pet. & in l. quæ extrinſecus ff. de verb. oblig.* & numiſma, & ſolidum idem eſſe tradiderunt *Ioan. Bellon. Etymol. Spieg.* & de denarijs fit mentio *in Euangelijs*, & de Siclis *in Geneſi*, & Aureum appellari in Iure ſolidum *l. fin. C. de Veter. numiſm. poteſt*, & habere vim pecuniæ, non tàm ex corpore, quàm ex impoſita æſtimatione *Ariſtot. & Hottom. ad tit. de act. & Duaren.* ſed meliùs *Ariſtoteles*, cui *Vulpianus* accedere videtur *l. 1. ff. de contrahen. empt. Brech. in l. pecuniæ 178. ff. de verb. ſignif. & Feſt. Pompon.* qui aſſerit Talentum nummo Græco æquiparari poſſe, & de Talentis, & Minis fit mentio *in Euangelijs*, ſed ſecundùm diuerſa Talentorum genera ſunt diſtinguenda maiora, & minora, nàm maiora conſtaſſe ex octuaginta minis tradunt *Pli-*

Plinius, *&* *Hermolaus*, licèt *Hermolaus* aſſerat Egyptium taxatum fuiſſe cum Cleopatra centum vigintiquinque minis, vt tradit *Ælianus* Babylonicum taxatum fuiſſe bis mille ſeptingentis minis, nec non minora, nempè Atticum, Tyrium, Phænicum, Ptolemaeum, & Antiochænum, quæ *Africanus* tradit conſtaſſe ſexaginta libris, ſeù minis, ignorans forsàn minam excedere quatuor Drachmis Romanam libram, nec non Atticum, Rhodiumque, & Euboicum Talentum tradunt *Ludouicus Cælius Rodiginus*. *Adrianus Tornebius*, *&* *Iacobus Spiegelius* conſtaſſe quatuor mille, & quingentis denarijs, in nihilo conturbante dicto *Feſti* annotato *per Budæum lib. 2. de Aſſe*, minimè conueniente *cum ratione Liuiana*, quæ talentum Euboicum ſex millium denariorum facit contraria dicto *Feſti* æquiparantis dictum Talentum Euboicum *nummo Græco*, & ſubdentis indè *ſeptem millium*, *&* *quingentorum Ciſtophororum eſt*, & ſub nomine *Ciſtophori* plures comprehendi numiſmatum ſpecies teſtantur *Liuius de*

Bello

Bello Macedonico, *& Cicero ad Atticum* his verbis: *Ego in Ciſtophoro in Aſia habeo ad ſeſtertium bis*, *& vicies*, & ſub nomine *Ciſtophori* non comprehendi *Aurum* tradit *Spiegelius*, & dùm *Feſtus Pomponius* inquit Euboicum Talentum nummo Græco ſeptem millium, & quingentorum Ciſtophororum noſtro quatuor millium denariorum, itá appellat, quia in eis impreſſa erat Imago alicuius ciſtam ferentis, veluti ambroſini nummi, itá appellati ab imagine S. Ambroſij impreſſa in illis, & de his ſecundum alquos intellexit *Papin. in l. publia* §. *Titius ff. de depoſit.* licèt Trophimatos legendum eſſe putat *Alciat. diſput.* 1. *cap.* 18. ſed *ex Macrobio*, *& Plinio libro naturalis hiſtoriæ*, *& ex Hermolao Barbaro* conſtat fuiſſe genus pecuniæ cum figura ferente Ciſtam, indè Ciſtophori ab Aſianis appellati, & quod quatuor denarij Romani ſeptem Ciſtophoros cum dimidio valerent tradunt *dicti Rodiginus*, *Tornebius*, *& Spiegelius*.

Sed dùm inueni Talentum certi ponderis, nec non certum pretium

tàm Argenti, quàm Auri facilis mihi reſolutio videtur, concordando *Auctores* vario Marte apparentèr inter ſe ſe digladiantes.

Proindè vocatur ad examen Talentum maius, ſeù nummus argenteus, quod, & quem perpendiſſe in minis octuaginta,& Minam conſtitiſſe centum Drachmis & Minas octuaginta aſcendiſſe ad octo mille Drachmas, & dictas octo mille Drachmas conficere mille Vncias clarè patet *ex Ciceron. & ex Gigant.* aſſerentibus primum Numiſma argenteum percuſſum Romæ appellari Ducatum, & in Iure denarium *iuxtà allegatos Doctores*, vndè dicendum venit, quod denarius, ſeù numiſma Romæ percuſſus fuerit ponderis vnius Vnciæ, & hodiè appellari à vulgo *Ducatone*, dictumque Talentum, quod Græci Nummum vocant conſtitiſſe primò mille Numiſmatibus, ſeù mille denarijs, vel mille vncijs, & mille numiſmata confeciſſe Argenteum.

Vndè habito reſpectu ad valorem antiquum argenti ad rationem lirarum quatuor pro qualibet Vncia

pre-

pretium dicti Argentei nummi aſcendit ad lir. 4000.

Et quod ſemiſſes dictorum denariorum fuerint formatæ non eſt ambigendum; quotieſcunque conſtat Siclum Romæ introductum fuiſſe, appellarique à Græcis *Tetrachmum*, & ab Atticis *Tetrachmam*, & à Vulgo *mezzo Ducatone*, exindè dicendum venit dictum Nummum Argenteum conſtitiſſe duobus mille Siclis, vel bis mille Tetrachmis, dictique valutati ad rationem lirarum duarum pro quolibet eandem ſummam conficiunt. lir. 4000.

Et quod Tertiarij, quos Vulgus appellat *Terzi di Ducatone* fuerint formati, paritèr non eſt ambigendum, & ſic valutando Tres mille Tertiarios ad rationem ſolidorum viginti ſex, & denariorum octo pro quolibet, dicta ſumma conficietur. lir. 4000.

Et quod Quartarij appellati à Vulgo *Quarti di Ducatone*

ti

ſuerint formati, non eſſe dubium, quotieſcunque conſtat ex *Feſto* tribuente quatuor mille denarios, & appellari Sicilicos, ſeù Sicilientes *à Metiano, & à Gothofredo, nec non à Budæo de Aſſe*, quod magis comprobatur *ex Lampridio* aſſerente Didrachmam vocari Stagium, illudque valuiſſe octo obulos Æris, quibus ad rationem duorum Aſſium cum dimidio valutatis, eorum valor deſumitur in vna lira, vndè quatuor mille Quartarij ad rationem vnius liræ pro quolibet valutati dictum Argenteum conficiebant valoris. lir. 4000.

Et quod dicti quartarij fuerint ſubſcupuli, non poſſe controuerti *teſte Prateio* quotieſcunque conſtat *ex Liuio* aſſerente Talentum maius conſtitiſſe ſex millibus denarijs, & quod *Feſtus* intellexerit de Quartarijs non eſſe dubium quotieſcunque conſtat *ex Georgio Agricola, nec non ex Conano,*

no, *&* *Alexandro Neapolitano*. Denariū differre à Drachma, & appellari Denarium Romanum ſextulam, Vndè ſex mille ſextulę, vel ſex mille denarij ad rationem ſolidorum tredecim, & denariorum quatuor valutati pro quolibet conficiebant dictum Argenteum valoris. lir. 4000.

Et quod paritèr dicta ſextula fuerit ſubſcupla, ſeù denarius ad octauam partem Vnciæ fuerit redactus, clarè liquet *ex Tacito lib.* 1. *&* *ex Alciato ad l. Ager. ff. de verb. ſignif.* Et ſic redactus in pondere vnius Drachmæ *teſte Couar. cap.* 2. *tom.* 1. aſſerente, quod ex libra Argenti ſignati fuerunt nonaginta ſex denarij, & quod valuerint decem Aſſes tradunt *d. Couar. cap.* 1. *&* *cap.* 2. *tom.* 1. *&* *Bellin. tract. de re milit. tit.* 2. *tom.* 16. *Io. Hug. tract. de off. quat. Prælat. tit. de quart. Prælat. par.* 4. *rubr. Tributi Imperialis*, Vndè Argenteus nummus conficiebatur ex

octo mille Drachmis, quæ ad rationem ſolidorum decem pro qualibet valutatæ dictam ſummam conficiebant. lir. 4000.

Sed addito valoris augumento dicendum venit, dictum Talentum, ſeù Nummum argenteum fuiſſe valoris monetæ de præſenti currentis Bononiæ. lir. 5000.

Sed antequàm vocetur ad examen Talentum aureum, ſeù nummus aureus cenſeo non omittendam eſſe declarationem pretij *triginta Argenteorum*, quò proditus fuit *Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei, quem primum, & principium mentem inuiſibilem, & increatam eſſe cenſuit* Numa ad tradita per *Oldendorpium* ab illo perfido Iuda, cui ſoluti fuerunt per Hebræos *triginta Argentei*, & quod vnus quiſque Argenteus contineret mille denarios Argenteos ponderis vnius Vnciæ, qui ſiuè ſoluti fuerint in moneta minutiori aurea, vel argentea, attamèn conſtat ex ſupra recenſitis pretium aſcendiſſe ad triginta mille Vncias argenti, vel ad triginta mille

dena-

denarios conficientes triginta Argenteos, Vndè habito reſpectu ad valorem Argenti tùnc temporis clarè elicitur aſcendiſſe pretium ad liras centum viginti mille, vel habito reſpectu ad valorem modernum Argenti aſcendiſſe ad liras centum quinquaginta mille, non autèm ad pretium, vt quidam *Auctores* tradunt, ignorantes Argenteos differre à Numiſmatibus, ſeù à Denarijs argenteis, nàm de opibus Hebraicis vſque ad tempus Hebræorum Imperatoris, Etnarchæ meminit *Ioſeph. lib.* 22. quodque corroboratur ex parte dicti pretij erogata in emptione facta in Agro Figuli, ideſt venditi à Figulo ſic cognominato, nàm Ager appellabatur ille, qui diuidebatur Veteranis Militibus, & Emeritis in præmium laboris bellici, vt aliquando poſſent quieſcere, *vt ex l. ſi captiuus §. expulſis ff. de captiuis*, & diuidebatur per Centurias, hoc eſt cuilibet Militum Centuriæ certa Iugera aſſignabantur, & Centuriam explicat *Feſtus lib.* 3. ſignificare ducenta Iugera *Varro lib.* 4. *de ling. latin.* & Iugum

gum

gum ità dictum, quod vno Boum Iugo per diem exarari poteſt, vt tradit *Alciat.* interpretans *l. mille paſſus ff. de verb. ſignif. & Alex. Neapolit. cap.* 20. *lib.* 2. & vnum quodque Iugum perpendiſſe in longitudinem pedum ducentorum quadraginta, & in latitudinem pedum centum viginti, teſtantur *Prateius*, *nec non Briſonius*, *& Gotthofredus*, aſſerentes vlterius Sacroſanctæ Eccleſiæ vnum Iugum Veterum Principum pietate collatum à quibuſdam violenta vſurpatione detineri, & præſertim ab Infidelibus etiàm Tumulum Sacratum, illúque recuperare negligere Chriſticolas, vt tradit quidam *Auctor Suecus* dicens, *Miror de ignauia Principum*, *& tamèn apud eos indomiti eſt copia Martis*, *nec non magnanimi*, *ſigniferique Duces*, *animi Vires*, *& conamina Belli extant*, cui addo mutatis mutandis *conſilium prudens*, *ingeniumque ferax penès Chriſtianiſſimum Ludouicum modernum Galliarum Regem extare*.

Hoc Duce Sarmaticas gentes ſuperabitis omnes
Principe non iſto, clarior vllus erit.

Dum

ideſt Pontifice. *Dum vobis aderit præſenti Numine Chriſtus*
Cæleſti franget impia Caſtra manu
Si inter vos pietas ſit, pax conſtantia firma
Sacra fides nexu perpetuatus amor.
Vnus, & aſſenſus concordia fida, manuſque
Iuncta ſit arripiat quilibet Arma citò.

Modo redeundo ad rem, vocatur ad examen Talentum minus, ſeù Argenteus Nummus illúque conſtitiſſe ſeptingentis quinquaginta Numiſmatibus, ex poſt mille quingentis Siclis, & deindè bis mille ducentis quinquaginta Tertiarijs, & eſt poſt tribus mille Quartarijs, & deindè quatuor mille quingentis ſextulis, & tandèm ſex mille octauis, ſeù Drachmis, dictúque Talentum conſtitiſſe ſexaginta minis, quæ ad rationem Drachmarum centum multiplicatæ ſummam ſex mille Drachmarum conſtituunt, vèl conſtitiſſe octuaginta Minis Atticis, dictæque Minæ multipli-

tiplicatæ ad rationem Drachmarum ſeptuaginta quinque pro qualibet dictam ſũmam Drachmarum ſex mille conſtituunt,quæ ad rationem ſolidorum decem pro qualibet valutatæ conſtituunt Talentum minus valoris. lir. 3000.

Remanet quoque aliquid dicendum de Talento Attico, quod conſtitiſſe Minis Atticis octuaginta, & Minam Atticam conſtitiſſe ſeptuaginta quinque Drachmis, vt ſupra demonſtraui confeciſſe Drachmas ſex mille, dictaſque ſex mille Drachmas confeciſſe Denarios quatuor mille quingentos, exindè clarè elicitur, quod concordant *Auctores* in pretio, & pondere, licèt diuerſimodè exponentes, dictumque Talentum annumerari poteſt inter Talenta minora, eiuſdemque valor, vel habito reſpectu ad Drachmas, vel ad denarios ſic vt ſupra valutatos, & valutatas deſumitur in lir. 3000.

Vel

Vel habito reſpectu ad valorem modernum Argenti valor eiuſdem deſumitur in lir. 3750.

Et tandem ex ſupra deductis clarè patet Argenteum nummum, ſeù Talentum maius cōſtitiſſe mille Ducatis, ſeù Numiſmatibus, vel Denarijs, & expoſt bis mille Siclis, & poſtea tribus mille Tertiarijs, & deindè quatuor millè Quartarijs, & demùm ſex mille Sextulis, & tandèm octo mille Octauis, vel Drachmis.

Vndè retenta dicta diſtinctione erit quoquè diſtinguendum Talentum Aureum, quod appellabatur Nummus Aureus, & præſertim à *Feſto Pomponio*, dictumque Nummum tempore antiquo cōſtitiſſe octuaginta Minis, & Minam centum Drachmis, & Minas octuaginta aſcendiſſe ad octo mille Drachmas, nec non octo milla Drachmas confeciſſe mille Vncias tradunt *Auctores ſupra recenſiti*, vndè dicendum venit dictum Nūmum primò conſtitiſſe mille Numiſmatibus, ſeù Ducatis aureis, ità

appellatis *à Cicerone*, *&* *à Gigante*, ſecundò bis mille Siclis, tertiò tribus mille Tremiſſibus, *teſte Lampridio*, quartò quatuor mille Quartarijs, ſeù Sicilientibus, vèl Sicilicis, quintò ſex mille Sextulis, ſexto octo mille Drachmis clarè elicitur.

Hinc dicendum venit primum Numiſma aureum Romæ percuſſum fuiſſe ponderis vnius Vnciæ, & conſequentèr Talentum conſtaſſe mille Numiſmatibus, dictaque Numiſmata valutata ad rationem lirarum ſeptuaginta quinque pro qualibet Vncia Auri obrizi, vèl pro quolibet, valorem dicti Numiſmatis aſcendiſſe ad lir. 75.

Et dd. Talenti ad lir. 75000.

Sed cum clarè liqueat *ex Lampridio* formatas fuiſſe dd. Numiſmatum ſemiſſes, & ſemiſſem vnius Numiſmatis pendere in Semunciam, & de ſemiſſe aureorum fit mentio *apud Imperatorem Anaſtaſium in l. videmus C. de erog. milit. annon. & C. de milit. veſt.*

lib.

lib. 12. vndè valor dicti ſemis Numiſmatis Aurei deſumitur in lir. 37. 10

Vndè dicendum venit dictum Nummum aureum conſtitiſſe tunc temporis duobus mille Siclis, qui ad rationem prædictam lir. 37. 10. valutati aſcendunt ad lir. 75000.

De Tremiſſe dictorum Numiſmatum patet *ex Lampridio, & apud Imperatorem in l. per hanc diuinam C. de erogan. milit. annon. & in l. penul. C. de excoct. & translat. milit. & C. de milit. lib.* 12. *Briſon. & Prat.* & perpendiſſe in octonis ſcrypulis, ſeù duabus ſextulis, quæ Duella *à Cicerone* appellantur, vndè dicendum eſt tres mille tremiſſes confeciſſe dictum Talentum.

Et valor dicti Tremiſſis clarè elicitur in lir. 25.

Exindè ſequitur, quod

d. tres mille tremiſſes valutatæ ad rationem lir. 25. conficiunt ſummam lir. 75000.

De Quartarijs non eſſe ambigendum quin fuerint formati, *vt dixit Prateius*, quandoquidem *ex Conſtitutione Imperatorum* duos, & ſeptuaginta ſolidos ex libra auri conflatos fuiſse conſtat, & Quartarium fuiſse Didrachmum, & perpendiſse in ſcrypulis ſex, & appellatum fuiſse Sicilientem, & Sicilicum, & fuiſse valoris lir. 18. 15

Vndè tribuendo quatuor Sicilientes Vnciæ claré patet dictum Talentum conſtitiſse quatuor mille Quartarijs, qui ad rationem prædictam lirarum decem & octo, & ſolidorum quindecim pro quolibet valutati conficere dictam ſummam videntur. lir. 75000.

Nec non quod dictus

Quar-

Quartarius fuerit ſubſcuplus tempore *Claudij Cæſaris* anno 43. à Natiuitate Domini Noſtri Ieſus Chriſti, ex quo tertia pars ponderis ab antiquo receſſit, *vt inquit Prateius*: *ſi ex Conſtitutione Imperatorum clarè conſtat formatas fuiſſe ſextulas dicti Numiſmatis*, & vnam ſextulam cōſtitiſse quatuor Scrypulis, vndè dicendum venit ſex mille ſextulas conficiſſe dictum Talentum, & valorem vnius ex dictis ſextulis aſcendiſse ad lir. 12.10

Ex ſex mille ſextulas ad rationem prædictam lirarum duodecim, & ſolidorum decem valutatas dictam ſummam conflaſſe lir. 75000.

Et quod pariter dicta ſextula, ſeù ſolidus aureus fuerit ſubſcuplus, & ſic redactus ad octauam partem Vnciæ, ſi ex libra auri ſi-

gnatos fuiſse nonaginta, ſex ſolidos teſtantur *Fab. de Mont. tract. de empt. & vendit. q. 5. num. 3. par. 1. & Sarſen. ad regul. Cancell. q. 9. verſ. ſolutio ibi, & quælibet vncia, & verſ. aurum etiam, Soccin. conſ. 47. ſub num.* 8. vndè dicendum venit dictum Talentum conſtitiſse octo mille Drachmis, & valorem vnius ex dictis Drachmis aſcendiſse ad lir. 9. 7. 6

Nec non dictas Drachmas octo mille ad rationem prædictam valutatas dictam ſummam conficiſſe lir. 75000.

Ex hactenus deductis conſtat *Talentum aureum*, alio nomine *Nummum* effici *mille Vncijs*, ſeù *mille Numiſmatibus*, vèl *mille Ducatis*, qui ad rationem lirarum ſeptuaginta quinque pro quo.

quolibet valutati aſcē.
dunt ad ſummam lir. 75000.
Vel *bis mille Tetrachmis*, ſeù *Siclis* ponderis ſemunciæ, qui ad rationem lirarum triginta ſeptem, & ſolidorum decem aſcendunt ad lir. 75000.
Seù *tribus mille tremiſſibus Teſte Lampridio*, quæ ad rationem lirarum viginti quinque dictam ſummam conflant lir. 75000.
Vêl *quatuor mille Quartarijs*, ſeù *Sicilientibus*, ſeù *Sicilicis*, ſeù *Didrachmis*, qui ad rationem lirarum decem & octo, & ſolidorum decem dictam ſummam efficiunt lir. 75000.
Vel *ſex mille Sextulis*, à quibus deſumpſi valorem auri, quæ ad rationem lirarum duodecim, &. ſolido-

rum decem dictam
ſummam facere viden-
tur lir. 75000.

Vel *octo mille Dra-
chmis*, quæ ad ratio-
nem lirarum nouem
ſolidorum ſeptem, &
denariorum ſex di-
ctam ſummam efficere
videntur lir. 75000.

Ex quibus clarè cō-
ſtat, quod libra Auri
puti fuit valoris. lir. 900.

Et quod ex Libræ
Auri ſignati fuerint
duodecim Numiſmata,
ſeù Ducati ponderis
vnius Vnciæ, qui ad
rationem lirarum ſep-
tuaginta quinque pro
quolibet, ſeù qualibet
Vncia dictam ſum-
mam conficere viden-
tur lir. 900.

Vèl *Viginti quatuor
Sicli ponderis ſemunciæ*
ad rationem lirarum
triginta ſeptem, & ſo-
lido-

liſdorum decem aſcen-
dunt ad dictam ſum-
mam lir. 900.

Vel *triginta ſex Ter-tiarij pōderis tertiæ par-tis Vnciæ* ad rationem lirarum viginti quin-que aſcendunt ad lir. 900.

Vel *quadraginta octo Quartarij, ſeù Didra-chmæ, vel Sicilientes, ſeù Sicilici, ponderis quartæ partis vnciæ*, qui ad rationem lirarum decem & octo, & ſoli-dorum quindecim effi-ciunt lir. 900.

Vel *ſeptuaginta duæ Sextulæ*, quæ ad ratio-nem lirarum duode-cim, & ſolidorum de-cem ad dictam ſum-mam aſcendunt lir. 900.

Et tandem *nonagin-ta ſex Drachmæ*; quæ ad rationem lirarum no-uem ſolidorum ſe-ptem, & denariorum

ſex dictam ſummam conflare videntur lir. 900.

Sed cum pateat qualiter numiſmata, ſeù Ducati aurei vocantur in Iure ſolidi,proùt etiàm eius partes, & Vncia auri erat valoris lirarum ſeptuaginta quinque hinc clarè patet de pretio Numiſmatis, ſeù Ducati

in	lir.	75.
Sicli	lir.	37. 10.
Tertiarij	lir.	25.
Sicilientis, ſeù Sicilici in	lir.	18. 15.
Sextulæ in	lir.	12. 10.
Drachmæ in	lir.	9. 7. 6

Hic declarandum eſſe cenſui illum obſcurum Mutinenſem locum, in quo aſſeritur expenſum fuiſſe Nummum aureum in hoſpitio triùm Nunciorum à Gallico Rege Miſſorum, & hoſpitum

tum in dicta Ciuitate per tres dies vnà cum Socijs, & famulis conuenientibus Legatis, alio nomine Oratoribus Maieſtatis Regiæ Galliarum, & ad quantitatem Monetæ currentis Bononię aſcendiſſe ad liras ſeptuaginta quinque mille aſſerere non erubeſco, valutando dictum Nummum aureum mille Vncias auri, vt ſupra.

Hinc concordandi ſunt *Auctores* aſſerentes vnam partem auri nunquàm minoris pretij quàm decem Argenti æſtimatam fuiſſe Romæ citato *Liuio* loquente de conditionibus pacis cum Ætolis initis cum Conſule, vt pro Argento ſi Aurum dare mallent dare eis liceret pro Argenteis decem vnum Aureum, licèt non exponentes, ſed excitantes dubia, quæ facilè remouentur ſi decem Argentei intelligantur de Siclis, nàm decem Sicli quadraginta Drachmis, ſeù denarijs Drachmalibus conſtabant, & ſi Aureus intelligatur pro ſolido, de quo fit mentio *in l. Longobardorum*, in quibus quadraginta denarijs æſtimatur *l. 1. de quantit. ſolid. & in l. Salica* dictus Solidus accipiendus eſt, nàm

in

in dictis legibus ſexcentum denarij quindecim Solidos facere dicuntur, & centum viginti denarij Solidos tres.

Remanet quoquè concordandus *Conanus* qui ſcripſit *in l. Papia* centenarium appellari Aureum, qui mille Aureis antiquis cenſebatur, *nec non Liuius lib.* 1. qui aſſeruit in Claſſium conſtitutione, quod centenarij appellabantur, qui centum millibus æris cenſi erant centenarij auri *l.* 12. *C. de Curſ. publ.* nec non *Textus* §. 3. *de ſucceſſ. liber.* in quo legitur centum mille Seſtertios centenis Aureis comprehendi, dictumque locum enucleatum, & *Auctores prædictos* leui commutatione ſic ſanari, & reſpectiuè concordari poſſe opinor, *ſi illæ duæ voces centum, & mille* locum inter ſe ſe commutarent, ideſt altera in alterius locum ſuccederet, ideſt qui centum millia Seſtertiorum in bonis habebant *d.* §. 3. *ſiquidèm Libertus, & Libertæ minores centenarijs ſint*, ideſt minus mille Aureis habeant ſubſtantiam, cum enim centum Seſtertij Aureum efficiant, vt ſupra demonſtraui, centum quoque millia Seſtertiorum

quod

quod conficiant mille ſolidos Aureos neceſſe eſt, vndè valutando dictos mille Solidos ad rationem lirarum duodecim, & ſolidorum decem conficiunt ſummam lir. 12500.

Vel valutando dictos centum mille Seſtertios ad rationem duorum Aſſium, & ſemiaſſis dictam ſummam conſtituunt. lir. 12500.

Vel reducendo dictorum centum millia Seſtertiorum in Seſtertia, vtique patebit centenarium prædictum conſtitiſſe centū Seſtertijs generis neutri, quæ centum Seſtertia mille ſolidos aureos efficiunt, illaque valutata ad rationem lirarum centum viginti quinque dictam ſūmam conſtituunt lir. 12500.

Sed Charybdin euitare conans incidi in Syllam, dum dicit *Textus l. Vnic. C. de argen. præſt. quod Theſaur. infert. lib. 10.* ita dicente Imperatore *Iubemus, vt pro Argenti ſumma, quam quis Theſauris fuerat illaturus, inferendi auri accipiat facultatem, ita vt pro*

pro ſingulis libris argenti quinos ſolidos inferat, & vt dixit *Prateius*, *& Spiegel.* quini ſolidi intelligendi ſunt Drachmales, & libra Argenti intelligenda eſt Argenti puri non ſignati, & vlterius ſubdentes ex verbis *Imperatoris* confutari *Scriptores* aſſerentes, quod olim decem Aureos valeret libra Argenti, forſàn neſcientes *Quini* nomen quid ſignificet *vt Affrican. de euiction. l. ſi duos* inquit, *Seruos quinis à te emam, & eorum alter euincatur*, & vlteriùs aſſerentes erraſſe quamplurimos alios nomen *Quinis* pro *bis quinque* exponentes, aliud namque eſſe emere duos Seruos *Quinis Aureis*, aliud *bis quinque*, ideſt *decem aureis*, ad tradita *per Nenbriſſ.* Vndè retento valore antiquo Auri puri in liris noningentis pro qualibet libra, vel pro qualibet vncia in liris ſeptuaginta quinque, nec non Argenti puri pro qualibet libra in liris quadraginta octo, ſiue vncia in liris quatuor, & quod ex Libra dicti Auri ſignati fuerint nonaginta ſex ſolidi Auri, teſtantur *Couar. tract. de vet. colat. numiſm. cap. 2. num. 7. tom. 1.* dictique

ctique ſolidi intelliguntur ex auro puro *l.* 1. *C. de contrahen. empt.* ex illis verbis, ibi, *electa materia*, & *l.* 1. ibi *ſpeciei probæ*, & *l. fin.* ibi, *obrizatorum omnium Solidorum C. de vet. numiſm. poteſt. lib.* 12. & appellari *Solidos* ex eo quod erant integri, & nihil eis deerat, *Lancel. Gall. tract. de Statut. quæſt.* 5. *tom.* 2. *&* *d. Couar. cap.* 3. *tom.* 1. & vocari quoque *Ducatos*, ſeù *Florenos* Aureos, *Brun. tract. de Monet. augum. tom.* 12. *fol.* 207. *Roland. a Vall. tract. de Dot. quæſt.* 53. *tom.* 9. & vocari *Scutos* nedùm tradunt prædicti *Auctores*, quos ſequitur *Henric. Bot. tract. de Synod. Epiſc. p.* 3. *tom.* 13. *p.* 2. & ſumpſiſſe *nomen Scutorum à Scuto militari*, dùm protegunt, & defendunt à neceſſitatibus humanis *ex Ariſtotele* refert *Hieron. de Luca tract. de Camb. tom.* 6. *par.* 1. *fol* 408.

Nec non ex Libra Argenti puti ſignatos fuiſſe nonaginta ſex denarios, & appellari *ſolidos argenti* refert *d. Couar. d. cap.* 2. *&* *cap.* 4. *tom.* 1.

Sed antequam aggrediar declarationem *Scutorum largorum*, qui expendebantur olim Bononiæ, & valebant

bant liras duas Argenti, de quibus ſit mentio *in l. Longobardorum l.* 1. *de quantit. ſolid. & in l. ſalica*, in quibus æſtimatur dictus ſolidus quadraginta denarijs argenti. In nihilo conturbante *l. vnic. C. de Colat. ær.* in qua æſtimatur dictus ſolidus liris *Viginti æris*, nec non *Auctoribus* aſſerentibus *liram Bononiæ* conſtitiſſe viginti ſolidis, dictamque diuidi in bis centum quadraginta denarios, *Bertazol. de clauſ. clauſ.* 32. *gloſ.* 5. *ſub nu.* 1. *Lancell. Gall. tract. de Statut. ſub. num.* 7. *&* 8. *fol.* 330. non omittendam eſſe infraſcriptam declarationem cenſeo.

Nempè quod lira Argenti Bononiæ valebat obulos viginti argenti, videlicèt. lir. 10.

Vel ducentum quadraginta denarios argenti paruos, qui ad rationem duodecim pro quolibet obulo dictam ſummam viginti ſolidorum argenti conficiebant, & ſic dictā ſummam lir. 10.

Vel conſtabat liris quatuor ſeſtertiorum, vel octuaginta ſeſtertijs, qui paritèr ad rationem duorum Aſſium, & ſemiaſſis pro quoli-

quolibet conficiebant ducentum Aſſes, Vndè tribuendo liræ Æris viginti aſſes pro qualibet lira, dictam ſummam conficere videntur lir. 10.

Vel valutando dictos ſeſſertios octuaginta ad rationem denariorum trium paruorum pro quolibet, vtique patebit aſcendiſſe ad denarios ducentum quadraginta paruos, qui ad rationem prædictam valutati dictam ſummam conflare videntur. lir. 10.

Vel valutando ducentos Aſſes ad rationem cuiuſdam monetæ æris mixti cum argento, quam Bononienſes appellabant vulgaritèr *Seſini*, Romani verò more Regionis vulgaritèr *Baiocchelle*, qui, & quæ appellabantur in Iure ſemiaſſes, & ex quinque ſemiaſſibus, ſeù ex quinque vulgaritèr *cinque Seſini*, vèl *cinque Baioccbelle* conſtabat dictus *Sextertius* alio nomine *obulus æris* antequàm foret ſubſcuplus, vt infrà, & cuderentur in hac Ciuitate quadrantes vulga-

vulgaritèr *Quattrini*, qui cudi cæpe-runt valoris tertiæ partis Aſſis, videlicèt vulgaritèr *quattrini da due quattrini* vt infrà.

Vndè cognito ſextertio aliàs obulo æris fuiſſe valoris trium denariorum paruorum dicendum venit valuiſſe monetæ de præſenti currentis Bononiæ quadrantes quindecim.

Vèl valutando tres denarios paruos ad rationem quadrantium quinque de præſenti monetæ currentis Bononiæ valor dicti obuli æris deſumitur in quadrantibus quindecim.

Vèl valutando obulum Argenti duodecim denarios paruos, valor dicti obuli deſumitur in ſolidis decem.

Vèl valutando Aſſem duos vulgaritèr *Seſini* valor dicti Aſſis deſumitur in ſolido vno.

Vèl valutando dicto vulgaritèr *Seſino* pro ſemiaſſe eius valor deſumitur in quadrantibus tribus monetæ de præſenti currentis Bononiæ.

Hocque probatur *ex Bullis* longè poſt reformatum Statutum Bononiæ penès me exiſtentibus, & emanatis *à Sanctiſſimo* concedente *emi, & acqui-*

ri pro ſingulis decem liris de argento Credita Montium ad rationem lirarum centum bonenorum , nec non exigi pro Datio vnius libræ Serici *ſolidum vnum , & denarios ſex paruos argenti* , & certum eſt hodiè exigi *ſolidos quindecim monetæ de præſenti currentis Bononiæ* , qui decem octo denarij argenti conficiunt ſex ſeſtertios , qui ad rationem trium denariorum paruorum, vel ad rationem ſolidorum duorum cum dimidio dictam ſummam ſolidorum quindecim conflant .

Vel valutando Obulum argenti ad rationem ſolidorum decem dictam ſummam ſolidorum quindecim monetæ de præſenti currentis Bononiæ conficiunt dicti decem octo denarij parui ;

Vel valutando eoſdem denarios decem octo paruos ad rationem quadrantium quinque modò currentium Bononiæ pro quolibet , aſcendunt ad quadrantes nonaginta de præſenti currentes Bononiæ , dictique quadrantes nonaginta diuiſi per ſex quadrantes conficiunt obulos quindecim monetæ currentis modò Bononiæ .

Ex

Ex antedictis Bullis optimè comprobatur mea typis impreſſa in fauorem Carceratorum, in qua ſupplices porrexi preces Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. Cardinali Gaſtaldo Meritiſſimo huius Patriæ Legato, dum illius cordi Deus inſculpſit miſericordiam innixam clementiæ, quæ

Nil habet æquiualens ſimilis, nec gloria fulget.
Eſt maior toto Sapientia prouida Mundo.

vt dignaretur declarare eſſe ſoluendos ſolidos decem de præſenti monetæ currentis Bononiæ *per Creditorem cuicumque Debitori, qui ſteterit in Carceribus per quatuor menſes* iuxtà litteralem ſenſum *Statuti* mandantis *ſolui duodecim denarios paruos*, illoſque intelligi de argento, dùm ſtatuentes non expreſſerunt monetæ currentis, *iuxta celebre conſ. Soccin.* 85. licèt ampliandа foret ſumma, nam obulus argenti erat octaua pars vnciæ argenti, *Tacit. lib.* 1. *Alciat. l. ager. ff. de verb. ſignif. Couar cap.* 2. *& cap.* 4. *tom.* 1. *tract. de veter. colat. numiſm.* vt optimè declarat *Monterent.* ibi: *ſeptimò*

dena.

denarium Bononiæ bis intrare ad quadrantem, *& duodecim ad ſolidum*, ac ſi dixiſſet *binos obulos Bononiæ confici ex quarta parte vnciæ argenti*, *& vnumquemque ſolidum conſtitui ex octaua parte Vnciæ Argenti*, *& vnum ſolidum ex duodecim denarijs paruis argenti* ad differentiam *Romani denarij*, qui pro decem Aſſibus in ſolutionem cedebat, vndè ſi intelligerentur pro duodecim denarijs Romanis ſumma permagna eſſet, dictoſque Carceratos relaxandos eſſe lapſo anno *Amore Dei* iuxtà *Conſ. Alex.* 135. *lib.* 4. *& Caſan. in lib. conſuet. Burgund. in tit. des Iuſtities* §. 2. *in gloſ.* 3. *alleg. per Monterent.* nàm carcer dicitur malæ manſionis locus, *Signorol. de Homod. conſ.* 97. *num.* 21. & Sepultura viuorum *Farinac. de Carcer. & Carcerat. q.* 27. *num.* 1. *&* 3. & ſit ſpecies ſeruitutis, *Surd. conſ.* 367. *num.* 17. quæ innocentem tædio affectum poteſt reddere reum, proindè *Statuentes Bononiæ* mandarunt per Creditorem accedi ſingulis diebus ad Carceres, & ſoluere dicto Carcerato vocato ad feneſtram in præſentia duorum Te-

ſtium

ſtium dictos denarios duodecim, non alia ratione ducti, quàm Chriſtiana pietate, quæ facillimè poteſt mouere animum Creditoris ad dimittendum debitum ſuo debitori, & conſentiendum eundem ad priſtinum libertatis ſtatum reduci.

Exindè retenta diſtinctione prædicta dilucidari Poſſunt alia obſcura temporibus noſtris *dicti Statuti* loca, nempè, vbi loquitur de ſolidis intelligi pro vnoquoque ſolido obulos decem monetæ de præſenti currentis Bononiæ, & de liris intelligi pro vnaquaque lira valoris lirarum decem dictæ monetæ, & quod ponit falcem ad radices eſt *idem Statutum* mandans, *quod nullus pro debito ſummæ librarum trium bonenorum incluſiuè, vèl ab indè infrà capi, vel perſonalitèr detineri poſſit*, & ad quam quantitatem dictas liras tres aſcendiſſe optimè declarat nedùm *obſeruantia ſubſequuta*, ſed etiàm *Sententiæ in contradictorio Iudicio per DD. Iudices latæ*, ex quibus annullatæ fuerunt Capturæ ad fauorem *debitoris carcerati* pro ſumma non excedente liras triginta monetæ cur-

currentis; Indè ſequitur, quod talis obſeruantia inſeruit pro interpretatione Statutorum, *Eminentiſs. de Luca de ſucceſs. diſc. 9 num. 13. & diſc. 13. num. 14. Maſcard. de interpret. Statut. concl. 2. num* 129. & ità Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Archintus huius Patriæ Prolegatus interpretans *Statutum fori Mercatorum* concedens *pro ſumma excedente liras quinque debitorem carcerari poſſe* declarauit inſpecta d. mea typis impreſſa ſummam intelligi *in liris quinquaginta monetæ de præſenti currentis Bononiæ* proinde d. Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini mei.

Virtus ſola regit Terras dominatur in alto
Diuidit, & nutu dona beata ſuo.

Ex ſupra deductis mirum non videtur ſi tempore antiquo ſoluebantur *denarij duodecim* operario locanti operam diurnam pro ſimili pretio, quod clarè elicitur *in ſolidis decem*, & vltrà, proùt quoquè legata, de quibus in Teſtamentis antiquis ibi: *pro elemoſina quinquaginta Miſſarum reliquit ſolidos quinquaginta*, ſi clarè patet vnum

E quem-

quemque ſolidum tunc temporis aſcendere *ad ſolidos decem*, & vltrà de præſenti monetæ currentis Bononiæ, & ibi: *Mandauit ſolui per hæredes liras vigintiquinque Eccleſiæ, &c. iuncto onere Sacerdoti pro tempore celebrandi Miſſam quolibet Menſe in perpetuum*, nàm conſtat *liras viginti quinque* tunc temporis aſcendere *ad liras bis centum quinquaginta, & vltrà de præſenti monetæ currentis Bononiæ*, ex quibus percipi poſſunt annui fructus excedentes elemoſinam modernis temporibus dari conſuetam.

Aggrediendo verò valorem *Scutorum largorum*, qui valebant *liras duas*, vel *quadraginta Drachmas Argenti*, vel *liras Viginti Æris*.

Si valutemus liras duas argenti ad rationem lirarum decem pro qualibet pretium elicitur fuiſſe in lir. 20.

Vèl ſi valutemus Drachmam argenti pro ſolido argenti, vtique pretium clarè elicitur in lir. 20.

Vèl ſi valutemus liras Viginti æris ad rationem Viginti aſſium pro qualibet lira, confeciſſe videntur quatuor centum aſſes,

eoſ

eoſdemque confeciſſe lir. 20. & appellabantur *Scuti auri in auro*, & qui expendebantur Bononiæ ante annum 1540. vt ex Inſtrumentis, ex quibus conſtabat de debito antè dictum annum 1540. in certa quantitate *Scutorum auri in auro* contracto, & ex poſt multos annos ab anno 1550. citrà per Debitorem Creditori ſoluto in moneta currenti ad rationem pro quolibet lirarum decem bonenorum, quæ conſtituunt liras viginti de præſenti monetæ currentis Bononiæ, & vltrà, ſic concorditèr taxato inter creditorem, & debitorem optimè ſcientem ſe non poſſe ſoluere in alia ſpecie etiàm æquiualenti inuito Creditore *l. 99. Paulus, & ibi Bartol. nu. 3. & alij communitèr ff. de ſolut. Abb. in cap. 17. ſub num. 15. Martin. Laud. tract. de Monet. Curt. ſen. Alber. Brun. tract. de monet. augmen. Couar. tract. de veter. collat. Numiſm. cap. 7. §. vn. num. 1. Boſſ. tract. crim. tit. de Monet. Neniz. conſ.* 40. *Matth. Coler. tract. de Proceſſ. execut. par.* 1. *cap.* 10. & etiàm in pecunia mutata ſi non interſit Creditoris, *Thom. Parpal. in*

l. cum quid numero 26. *verſiculo, & in quantum in fin. ff. ſi cert. pet. inter re-pet. tom.* 2. *fol.* 52. & teneri eme-re omni pretio, *Rebuff. ad Conſtitut. franc. tract. de litter. obligat. art.* 5. *gloſ.* 1. *tom.* 1. *Teſſut. Iun. tract. de Monet. par.* 1. qui aſſerit tempore eius quod libra conficiebatur centum au-reis, vnde patet dictos Scutos fuiſſe ſubſcuplos, & eſſe de illis, qui ex-pendebantur Bononiæ, ab anno 1540 citrà pro liris tribus, & ſolidis duo-decim, videlicèt de liris Seſtertio-rum, vndè tribuendo vnicuique liræ Seſtertios viginti clarè elicitur valuiſ-ſe vnumquemque ſeptuaginta duos Seſtertios, eoſdemque valutando ad rationem duorum Aſſium, & Semiaſ-ſis ſummam lirarum nouem de præ-ſenti monetæ currentis valuiſſe clarè patet vſque ad annum 1550. & ex poſt ad differentiam Semiſcuti largi, qui valebat liras quatuor Seſtertio-rum, & de præſenti liras decem.

Ex hactenus deductis clarè liquet de pretio, & valore monetarum ar-genti puti, & auri obrizi ab initio quo cudi cęperunt vſque ad annum 1550.

circà

circà antequàm ſignati fuerint Scuti aurei cum mixtura Æris à quodam Principe, quem ſecuti ſunt omnes Itali Principes ſignari mandantes ad rationem Scutorum centum nouem pro qualibet libra auri in liga Caratorum viginti trium, hoc eſt detracta ſemuncia à libra auri, quam fuiſſe valoris lirarum 900.& reſpectiuè lir.37. 10. pro ſemuncia dicti auri, remanet valor dictæ libræ auri cum mixtura in lir.889. vtiquè deficit in lir. 11. pro aliquo modico pro publico ſigno Principis auctoritate impreſſo, nec non pro expenſis, *vt Canoniſtæ in cap. 18. de Iure iurando*.

Vndè ab anno 1550. citrà vſque ad annum 1590 appellari cæperunt *Scuti aurei* vulgaritèr *di Zecca* ponderis Caratorum decem, & ſeptem, & quinque octauorũ alterius carati, qui expendebantur Bononiæ ad rationẽ Solidorum octuaginta quinque, alij verò, qui appellabantur *currentes* ponderis Caratorum decem, & ſeptem,& quartæ partis alterius carati, qui paritèr expendebantur Bononiæ ad rationem Solidorum octuaginta

 trium,

trium, alij Scuti, qui vocabantur *Itali*, qui paritèr expendebantur ad rationem Solidorum octuaginta quinque, erantque ponderis Caratorum decem, & ſeptem, & quinque octanorum alterius carati, vndè à dicto anno 1550. citrà vſque ad annum 1590. dictus Seſtertius alio nomine Obulus Æris fuit Subſcuplus quintæ partis, & cudi cæperunt vulgaritèr *le Moraiole* argenti puti, quæ expendebantur pro ſex quadrantibus vulgaritèr *per ſei quattrini, ò Seſſini da due quattrini* cum mixtura, nec non *Denarius*, ſiuè *Drachma Argenti*, alio nomine, *Solidus Argenti* fuit paritèr Subſcuplus, vndè ex Vncia Argenti ſignati fuerunt *Solidi decem*, exindè appellari *Solidi* cæperunt *Iulij*, vndè dicendum venit *Scutos aureos* appellatos *di Zecca*.

Nec non *Scutos* appellatos *d'Oro d'Italia*,

Fuiſſe valoris lirarum octo, & ſolidorum decem de præſenti currentis Monetæ Bononiæ.

Alios verò appellatos *currentes*.

Fuiſſe valoris lirarum octo, & ſolidorum ſex. Et

Et hoc probatur *ex autenticis Scripturis*, ex quibus reſultat de valore vnius Carati auri ad rationem quadrantium viginti nouem, & tunc temporis valebat Iulius argenti quadrantes triginta, vndè ſi tribuamus dicto Scuto Iulios decem, & ſeptem, dictoſq; Iulios ſi valutemus ad rationem Quadrantium triginta pro quolibet, ſummam conſtituunt Quadrantium quingentorum decem, eoſdemque diuidendo per ſex, vtique conficiunt obolos octuagintaquinque Monetæ tunc temporis currentis, vel ſi valutemus Caratos decem, & ſeptẽ, & quinque octauos alterius carati ad rationem Quadrantium viginti nouem pro quolibet, vtique ſumma dictorum Solidorum octuagintaquinque conficietur.

Sed introducta falſificatione dictorum Quadrantium, exindè auctus fuit valor nedùm dicti Iulij ad quadrantes triginta ſex, verùm quoque Scuti auri ad liras quinque, & Solidos duos, ad quam euitandam *Sanctiſſimus Pontifex Pius V. ex Edicto anni* 1571. prohibuit, & expreſsè vetuit dictos

Qua.

Quadrantes cum mixtura inpoſte-rum expendi, concedens aliquod tempus ad illos aſportandos extrà Statum Eccleſiaſticum, ſed eo lapſo, adhùc durante fraude renouatum fuit *Edictum de anno* 1586. *à Sanctiſſimo Sixto V.* verùm quoque *à Sanctiſsimo Gregorio XIV.* & demùm *à Sanctiſsimo Clemente VIII.* qui de anno 1600. magno cum detrimento Cameræ Apoſtolicæ mandauit eos aſportari officinis monetarum. Exindè ad erectionem *Montis* vulgaritèr appellati *de quattrini* deuentum fuit. Exindè lira argenti currens ſuper Vectigalibus grauata fuit duodecima parte, proùt adhùc viget.

Et deniquè ad ſuppreſſionem totalitèr dictorum Quadrantium cum mixtura deuentum fuit, exindè cudi cæperunt quadrantes grauiores illis, qui hodiè expenduntur, nec non Scuti auri in liga caratorum viginti duorum ad rationem in numero centum, & decem pro qualibet libra auri, videlicèt adempta vncia auri valoris lirarum ſeptuaginta quinque à libra auri valoris lirarum noninginta remanſit

manſit pretium dictæ libræ auri in liris octingentis viginti quinque de præſenti monetæ currentis Bononiæ, eaſdemque liras octingentas viginti quinque diuidendo per centum decem Scutos auri, pretium modernum clarè elicitur in liris ſeptem, & ſolidis decem, dictoſque Scutos eſſe de illis, qui expendebantur Bononiæ à dicto tempore citrà vſque ad annum 1636. pro liris ſex, & ſolidis ſex, & hodiè vocari vulgaritèr *mezza doppia*, nàm expendebatur *Ducatus argenteus* vulgaritèr *il Ducatone* pro liris quatuor, & ſexta parte alterius liræ, & *Iulius* pro ſolidis octo, & denarijs quatuor monetæ tūc temporis currentis Bononiæ, vndè addito valori antiquo augumento valoris nempè valutato dicto Ducato ad rationem Iuliorum decem, dictiſque Iulijs valutatis ad rationem ſolidorum decem de præſenti monetæ currentis Bononiæ conſtitui videtur valor dicti Scuti vulgaritèr *di mezza doppia* in liris ſeptem, & ſolidis decem de præſenti monetæ currentis Bononiæ, & hoc clarè elicitur non ſolum *ex Bannimentis*

mentis, ſed etiàm *ex quodam manuſcripto*, in quo legitur qualitèr Sanctiſſimus Pontifex Paulus V. miſit Commiſſarium Reuerendiſſimum Bardum pro concordia inter tres Prouincias Status Eccleſiaſtici ſuper valore monetarum, & ob concordiam eundem fuiſſe declaratum Prolegatum Auinionenſem, & indè Epiſcopum Epiſcopatus, quem Hiſpani vocant di Carpentras.

Hinc mirum non videtur, quod plerique *Auctores* tradiderunt, nempè, quod vna *pars auri* æſtimabatur *quindecim Argenti*, nempè quod Vncia Auri æſtimabatur quindecim Argenti, nàm retento valore antiquo auri obrizi in lir.ſeptuagintaquinque dictiſque Vncijs quindecim argenti puti valutatis ad rationem lirarum quinque valoris moderni, vtique ſumma lirarum ſeptuaginta quinque conficietur, & altercationes *inter Doctores* ſuper varietate pretij facilè remouerentur, ſi ſublata eſſet mixtura, & non tàm facilis via falſificandi monetas introducta fuiſſet, vt dixerunt *Couar.cap.* 3. *tom.* 1. *Brun. tom.* 12. *fol.*

fol. 207. tract. de monet. augument. Teſsut. Iun. concl. 2. par. 1. tract. de monet. augument.

Sed cum me non lateat, quod non attenditur tempus contracti debiti, ſed tempus ſolutionis, & maximè quando variatio, & mutatio contingit circà bonitatem intrinſecam, vel quando variatur pondus, vel liga, ſeù materia, tunc ex variatione debetur æſtimatio, ſed ea in eodem ſtatu permanente, quando valor augetur, aliàs ex mutatione pecuniæ damnum ſentiret Creditor, ad quod euitandum inſpicienda ſunt Bannimenta, in quibus etiam taxatæ fuere aliæ monetæ argenteæ, & vt latè tradit *bo. me. Ioannes Caluus frater meus in ſuis additionibus ad Gloſſam Statutorum Bononiæ nondùm Typis impreſſis, & in Aliis, &c.*

Hìc operis noſtri ſtatui mibi ſiſtere finem
Contaminat totum nùnc falſa pecunia Mundum.
Argentum minuunt miſcent quodcunque metallum
Auri confundunt ſpeciem, duploſque doloſos

Pro


Pro veris tradunt, Nummus ſua
pondera neſcit
Eſt fraus in numero, menſura, &
pondere nummi
O malè ſperantes ! Magnus ſuper
Æthera Princeps
Iuſtitiæ normam ſemper, legeſque te-
nebit,
Cum quibus ad nigrum ſceleratos tru-
det Auernum.


Non reticebo ſupradicti *R.D. Bonauenturæ de Rubeis* in rem Monetarum præſens Tetraſtichon.

Cur tot vbique ciet ſignata Pecunia
motus?
Victaque concedit priſca Moneta no-
uæ?
Heroas quondam thecnis inimica
doloſis,
Nunc inopes tantum IVNO MO-
NETA petit.

FINIS.

[library stamp]





BIBLIOTECA